

Μακαρισμὸς Davidicus,

Hoc est,

**HOMINIS VERE
POENITENTIS à BEATI-
TUDINE SPIRITUALI
PRÆDICATIO,**

*Ex Psalmo XXXII. tanquam ex propriâ sede
cœlestis de JUSTIFICATIONE doctrinæ, recen-
sita & à Pontificiis detorsionibus vindicata,*

Disputationis publicæ ergò

In Academia Lipsiensi

ANNO M. DC. XXIIX. Calend. April.

sub Deo proposita

ab

HEINRICO HÖPFNERO
SS. Theol. D. & Prof. Pub.

RESPONDENTE

M. ERICO PELSHOFFERO Græc. Styro,
Alumno Elector.



L I P S I Æ,

Typis exscribebat GREGORIUS Kitzsch.

ANNO M. DC. XXIIX.

T.M.d. 105



VIRIS

*Reverendissimâ, Nobilissimâ, Consultissimâ
Magnificentiam, Amplitudine, Autoritate
Eminentissimis, Excellentissimis, Celeberrimis,*

DOMINIS

VICEPRÆSIDI, CÆTERISQUE

*Serenissimo Electori Saxonie à Consiliis Ec-
clesiasticis, & Protosynedrii, quod est
Dresdæ, ASSESSORIBUS honoratissimis &c.*

*Dominis, Patronis, ac Promotoribus suis ut ma-
ximis, ita subjectissimo animi cultu eter-
num devenerandis,*

Exercitium hoc Academicum

*Debitæ Gratitude & Observantia ergò,
atq; in ulteriorem Studiorum suorum qualium
qualium commendationem,*

summâ, quâ fieri potest, reve-
rentiâ deditissimus

dicat, consecrat

M. Ericus Pelshofer
Respond.



Θεός, Θεός!

PROOEMIUM.



Rs artium est, & caput omnis sapientiae, nosse rationem, quâ coram Deo justificemur, & in filios ejus adoptemur. In hoc enim consistit beatitudo, & summum, quod homini in hac vitâ obvenire potest, Bonum. Hinc de societate humanâ omnium maximè ii merentur, qui alios ad justitiam

erudiunt, & salutis ipsorum administri sunt, Dan. 12. v. 3.

2. Talem doctorem agit David in Psalmo XXXII. quem propterea nominat חֲשִׁבִּי, subintellecto vocabulo חֵי quod canticum notat, quasi dicas didascalicam oden, quâ doctor hic intelligentiam præbet aliis. Radix est חִבַּר intellexit, prudenter egit, nec non prosperatus est, Esa. 53. v. 3. 1. Sam. 18. v. 30. In Hiphil autem חֲשִׁבִּי significatum obtinet transitivum & intransitivum, ut sit idem ac docuit, prudentem reddidit, nec non intelligens, prudens fuit.

3. Græcus vocabulum Hebraum exponit abstractivè per vocem σοφεία: quæ vox usu populari & apud oratores ferè sumitur de prudentiâ, sicut Demosthenes in oratione funebri virtutum omnium principium docet esse σοφείαν. Strictè verò significat sagacitatem & intelligentiam, quâ quis dextrè novit uti scientiâ & prudentiâ. Est enim duplex σοφεία: theoretica, cum quis notitiam rerum, quas tenet, dextrè accommodat: & practica, quâ quis rectè potest judicare de usu illarum,



rerum, circa quas prudentia versatur, ut tradit Philosophus
lib. VI. Ethic. Nicom. cap. 10.

4. Et quidem iste titulus exactè respondet Psalmi bujus
tùm scopo auctoris, tum argumento, quod tractatur. Nam
versû octavo David se professorem indigitat, & magistrum,
omnium pœnitentium, ostendens methodum, quâ possint ad
summum Bonum spirituale pervenire, cum ait: אֲהַיְבֶנְךָ
intelligere te faciam, & docebo, quâ viâ ambules. De se etiam
ipse fatetur Psal. 119. v. 90. præ omnibus me docentibus in-
tellexi. Et v. 110. & 44. orat ad Deum: prudentem me effice,
ut vivam.

5. Atq; hac ipsa causa est, quòd tanti faciat hunc Psalmum
Apostolus, ut ex eo locum de justificatione hominis pecca-
toris coram Deo insigniter explicans, magni bujus præceptoris
auctoritate nitatur.

6. Deinde & argumenti dignitas meritò huic Psalmo
inscriptionem illam conciliat. Sicut enim maxima ἀνοησία, be-
betudo & stultitia est ignorantia salutis Psal. 11. v. 13, 14. & ge-
neratim omne peccatum dicitur stultitia, Psal. 38. v. 6: Ita
συνίρεως spiritualis fastigium est, nosse modum, quo cum Deo
irato possimus in gratiam redire, & coram eo justificari.

7. Propterea hic Psalmus à Rabbini nominatur דַּבְּרֵי
cor Davidis, eò quòd sit quasi manuductio ad cordatam saga-
citatem & peritiam spiritualem: Quamvis enim & alii Psal-
mi hunc titulum habeant præfixum, ut 42. 52. 53. 54. 55. 74. 78.
88. 142: tamen hic κατ' ἐξοχὴν didascalicus est.

8. Sic autem hanc doctrinam de beatitudine spiri-
tuali persequitur, ut modum eam adipiscendi tractet non tan-
tùm θεωρίας, sed & per hypothesein: nimirum allegando suum
exemplum & propriam experientiam: cui tandem subjun-
git inductionem didascalicam, quâ ostendit omnes sanctos
eodem modo justificari.

THE-

THESIS I.

Summum bonum, quo de Psaltes docet, est
beatitudo spiritualis.

1. *Opponitur enim miseria hominum, quam adfert peccatum & reatus illius, sicut ex contextu liquet. Hanc beatitudinem indicat Psaltes vocabulo $\mu\alpha\kappa\alpha\rho\iota\sigma\mu\varsigma$, quod est plurale constructum, significans beatitudines, sed per adjectivum exprimitur, modò singulariter Psal. 1. v. 1. modò pluraliter Psal. 2. v. 12. & hoc loco versio LXX-viralis $\mu\alpha\kappa\alpha\rho\iota\sigma\iota$: idq; retinuit Paulus Rom. 4. Lutherus autem contextum in fontibus secutus, numero singulari effert subjectum beatitudinis, ipsam autem affectionis appellationem exponit per adverbium: Wohl dem / benè, seu feliciter, quæ & Latinis usitata est formula $\mu\alpha\kappa\alpha\rho\iota\sigma\mu\varsigma$, ut apud Plautum in Stichis: Benè vos, benè nos, benè te, benè me &c.*

2. *Observant autem Rabbini, perpetuò hoc nomen multitudinis numero poni ad denotandam excellentiam boni, quod non quaecumq;, sed summū esse indicatur. Et ideo Varinus Phavorinus in Lexico: $\mu\alpha\kappa\alpha\rho\iota\sigma\iota\sigma$, Beatitudo, ait, $\nu\omicron\sigma\upsilon\phi\eta\tau\acute{\alpha}\gamma\alpha\theta\omega\upsilon$, apex bonorum est. Et Cicero in 5. Tuscul. non procul ab initio: Neq; ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, notio est, nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio.*

3. *Vox Græca $\mu\alpha\kappa\alpha\rho\iota\sigma\iota$ significat $\mu\grave{\eta}\ \kappa\eta\rho\iota$, non morti obnoxium, ut vult Eustatius: aut ab adjuncto nomen habet, nempe $\delta\iota\omicron\tau\acute{\omicron}\tau\eta\varsigma\ \chi\alpha\rho\iota\varsigma$, à gaudio, ut docet Aristoteles l. 7. Ethic. cap. 11.*

4. *Latinis beatus propriè significat eum, qui vitâ fruatur, sicut illam Scaliger lib. 7. de LL. c. 150. deducit à Græco $\beta\iota\omicron$, quia quæ beare dicuntur, vitam vel conferunt, vel conservant.*

5. Qualis autem sit beatitudo, quam Psalteres predicat, tum ex definitione in contextu posita, tum ex allegatione Paulina Rom. 4. patescit, nempe spiritualis, cum quis coram Deo justificatus est: qua juxta etymologiam vocum modo explicatarum sic ἐνομηματικῶς describi potest: Spiritualis beatitudo est libertas à reatu peccati, ac gratiæ Dei vivificæ læta fruitio.

6. Caterum aliud est μακαριότης, beatitudo: aliud μακαρισμός. Nam Philosophus 1. Rhet. ad Theod. cum agit de genere demonstr. μακαρισμὸν refert inter species laudationis, & distinguit à cæteris, quas ibi recenset. ὁ ἐπαινος enim est laus viri boni ob virtutem. τὸ ἐγνώμιον est laus viri alicujus ob res præclare gestas & actiones virtutum. ὁ μακαρισμὸς est laus ob beatitudinem, ὅτι τὸ μακαρίζω, beatum predicare.

7. Eamq; vocem Paulus, verba Psalmographi allegaturus, adhibet, ut indicet exclamationem Davidis, quæ extollit beatitudinem hominis verè poenitentis: quasi diceret: O beatum illum & summo bono spirituali verè fruentem, cui remissa sunt peccata! Ideò Paulus nominat μακαρισμὸν, predicationem beatitudinis. Rom. 4. v. 6. inquit: Sicut & David ait; μακαρισμὸν, beatitatem hominis, (seu beatum predicandum esse hominem,) cui Deus imputat justitiam absq; operibus. Et v. 9. ejusdem cap. ὁ μακαρισμὸς ἐν ἔργῳ, ista igitur beatitudinis declaratio, (sive predicatio) utrum in circumcissionem, an in præputium incidit?

8. Erasmus vertit beatificationem, que vox per Hebraismum idem significat ac predicationem beatitudinis, sicut Lea dicit Gen. 30. v. 13. Beatificabunt me filia, id est, beatum me agnoscent ac predicabunt. Alii tamen referunt hanc vocem ad ipsam beandi rationem, sive beatitudinis efficientiam, quæ Deus homines beat. Sed contra indolem Græcæ vocis: sicut Latina versio, & in allegatis locis v. 6. & 9. Rom. 4. tum etiam Gal. 4. v. 16.

v. 16. semper exponit per vocem, beatitudo; quod sic intelligi potest, eum, qui ex rei veritate beatus predicandus est, etiam beatum esse.

THES. II.

Subjectum beatitudinis est homo peccator, quatenus ob miseriam beatitudinis indiget.

1. Loquitur enim Psaltes de homine, cui remittitur tegiturque peccatum, & non imputatur iniquitas. Itaque peccatum habet, & reus est poenarum temporalium & aeternarum. Quem verò Psaltes vocat אָדָם hominem, is cum septuaginta-virali interprete à Paulo dicitur ἀνὴρ Rom. 4. v. 8. ubi hæc vox non est discretiva sexûs, sed etiam foeminas notat, sicut Hebraicum אָדָם vir, Psal. 1. v. 1. quia hic neq; mas neq; foemina est, sed omnes unus sunt in Christo Jesu, Gal. 3. v. 28.

2. Paulus Rom. 4. v. 5. impium constituit justificationis subjectum, inquiens: Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam: Peccatum autem, propter quod homo indiget justificationis, tribus vocabulis hoc loco notatur.

3. Primum est אָדָם quod significat summum inobedientia & prevaricationis gradum, cum homo verbum Dei ejusque mandata malitiose transgreditur, qualis transgressio erat Davidis adulterium, & huic adjunctum homicidium, ut ipsemet Psal. 51. v. 3, 5. fatetur.

4. Alterum vocabulum est חַטָּאת omnis error & delictum, quod quotidie variis modis, ex infirmitate carnis corrupta, ejusque ad legem Dei inhabilitate, committitur tum cogitationibus & motibus internis, tum externo opere. Nam & peccata ignorantia atque infirmitatis nulla sunt in se venialia, uti

uti volunt Pontificii, sed etiam noxium faciunt hominem, & dignum eternâ damnatione, licet voluntaria peccata majorem gradum damnationis illius mereantur, ut docet Christus Matth. 5. v. 21. 22.

5. Tertium vocabulum est *ἡ*, quod significat omnem iniquitatem tùm actuale, tùm, quæ hujus fons & causa est, originale, per quam impedimur, quò minus etiam renati possumus perfectam legi obedientiam præstare, sicut hoc queribundâ suâ confessione testatur David Ps. 51. v. 7. Ecce in iniquitate formatus sum, & in calore peccante concepit me mater mea.

6. Paulus Rom. 4. duo adhibet vocabula Græca, & primam vocem Hebræam exponit numero multitudinis, per τὰς ἀνομίαις: alteram vocem Hebræam per τὰς ἀμαρτίας. Deniq; per hoc idem vocabulum, sed in singulari numero positum, exprimit tertiam vocem Hebræam, atq; ita innuit habitum vitiosum, ex quo præcedentia peccata tàm malitiosa, quàm infirmitatis & ignorantia numero multitudinis enunciata, proficiuntur.

7. Significat itaq; Psaltes, omnia peccata tùm actualia, tùm originale, & actualia quidem non tantùm ea, quæ sunt contra conscientiam, sed etiam infirmitatis, nos facere reos coram Deo, ut indigeamus justificatione, sine quâ eternum nobis pereundum esset.

THESIS III.

Conditio verò subjecti, quod beatitudinis particeps fit, est vera pœnitentia.

1. Psalmus dicit eum esse beatum, in cujus spiritu non est dolus: qui non est hypocrita, non simulat, seu fingit pœnitentiam, sed verè illam agit; sicut ex seqq. vers. apparet. Ac quia pœniten-

poenitentia partes sunt due: contritio & fides, quarum illa est
antecedens tantum justificationis, & ante beatitudinem spiri-
tualem requiritur: hac vero etiam ad justificationem & ad
beatitudinem est necessaria, velut organum apprehensorium:
ideo etiam dolus vel hypocrisis poenitentiae opponitur secundum
has illius partes.

2. Dolus enim seu falsitas contritionis est, cum quis
extrinsecus tantum simulat, se dolore affici ob patratum pecca-
tum, aut cum peccatum transfert in alium, aut cum illud excu-
sat adhuc.

3. Falsitas vero fidei, cum quis vel simulat fidem in
Christum, eumque ore tantum profitetur, sed spiritu, h. e. corde il-
lum non amplectitur, vel cum falsa iustitia tumet, nec confugit
ad gratiam Christi, ut in nomine illius remissionem peccato-
rum accipiat.

4. Prior dolus, qui videlicet contritionem mentitur,
Epicureismi, posterior autem Pharisaismi est foetus, qualis
hypocrisis saepius objicitur Phariseis Matth. 6. & 15. v. 7. cap. 16.
v. 3. & tribuitur etiam loquentibus mendacium 1. Tim. 4. v. 2.

5. Non autem dolus est in eo, qui delicta sua Deo facit
cognita, & impietatem suam Deo confitetur, & ab eo veniam
petit, sicut sequentes versus nostri Psalmi explicant, & talem
fidem Apostolus 1. Tim. 1. v. 5. & 2. Tim. 1. v. 5. vocat ἀνυπόκριτον,
non fictam, & Jac. 3. v. 17. τὴν ἀνωθεν σοφίαν, sapientiam caele-
stem dicit ἀνυπόκριτον esse, qualem in hoc Psalmo profitetur
David.

6. Atque in hunc sensum verba Psalmi explicat Justinus
Martyr in Dial. cum Tryphon. Judaeo, prope finem: Beatus,
inquit, cui non imputabit Dominus iniquitatem, cui poe-
nitenti Deus peccata remittit. Non sicut praedicatis vos-
metipsum fallentes, & alii quidam vestri similes asseve-
rant, & si peccatores fuerint, modo Deum noverint, non

B

imputa-



imputabit eis Dominus peccata. Ita & August. de imperf. just. Jam olim contra superbos clamatum est: beatus cui non imputat Dominus peccatum, non imputat autem his, qui fideliter dicunt: Dimitte nobis debita nostra.

THESIS IV.

Causa efficiens beatitudinis spiritualis est peccati remissio & tectio, & iniquitatis non imputatio divina.

1. Sæpè loquitur Scriptura sacra de beatitudine à posteriore, signo vel effectu, beatitudinem demonstrante, & ostendit, quinam, & quales sint justificati, ut Matth. 5. v. 1. & seqq. Sed hoc loco explicat beatitudinem à priore, & affert causam ejus proximam, sicut inferiùs eam probabit.

2. Ceterùm teste Ambrosio in cap. 4. Rom. unius significationis sunt verba hæc: quia cum tegit, remittit, & cum remittit, non imputat Deus. Nos tamen significantiam harum pbrarum seorsim expendemus, ut postea corruptela Pontificia eò distinctiùs refutentur.

THESIS V.

Remissio divina peccati est gratuita ignoscencia peccati propter Christi justitiam, credenti imputatam, ut illud non puniatur.

1. Davidis verba juxta fontes sic habent: Beatitudines (ejus) qui levatus est peccato, seu beatus est is, cui sublatum est peccatum. Verbum נשא tulit, abstulit; ac sæpiùs non ablationem simplicem, sed talem notat, quã quis alium onere levat, & illud in se susceptum portat, Esa. 30. v. 6. cap. 45. v. 20. c. 22. v. 31.

De

Remissio qd.

Remissio qd scilicet
synonym.

De peccato cum usurpatur hoc verbum, significat 1) peccati vel proprii, vel alieni, & alteri cuiquam imputati luitionem, sicut Christus dicitur nostros languores tulisse, & nostros dolores bajulasse Esa. 53. v. 4. 7. 8. Quo respectu prohibetur etiam ἄρα, tollere peccatum mundi Job. 1. v. 29.

2. Notat ablationem peccati, quoad reatum peccati & debitum poenae, quando peccatum habetur eo loco, ac si non inhereret, aut patratum fuisset, atq; ita non punitur. Gen. 4. v. 12. 50. v. 17. Exod. 34. v. 7. Metaphora desumpta est ab iis, qui onere quodam premuntur. Sicut enim peccatum in Christum pro peccatis nostris mortuum est conjectum: ita quoq; à nobis peccatum in justificatione aufertur. Sed Christus peccatum in se sustulit, non quoad inherentiam iniquitatis, sed quoad imputationem illius, & luitionem poenae. Ergo à nobis etiam peccatum tantum quoad reatum tollitur in justificatione.

argutum s. sytya'c.

3. LXX-viralis versio eamq; secutus Paulus Rom. 4. vertit hanc vocem ἀφίηται: Latine verò: remissa sunt. Αφίηται autem proprie significat à se amovere, Matth. 4. v. 20. & per metaphoram deserere, dimittere, permittere, frequentissimè autem, missum facere aliquid, cuius oppositum est κρατεῖν, retinere, adducere, ut quando eques dicitur frena remittere. Deinde ad ceteras res per metaphoram accommodatur, imprimis ad remissionem debiti, hoc est, vel poenae vel creditae pecuniae. Nam remittere debitum est actus iudicis, vel creditoris, aliquem à poena vel crediti obligatione liberantis. Atq; in hac strictà significatione speciatim quoq; ei opponitur κρατεῖν, retinere peccata Job. 20. v. 23.

4. Equipollent autem huic pbrasi alia vocabula v. g. non recordari, & oblivisci peccatorum Jer. 31. v. 34. parcere, Gen. 18. v. 24. ignoscere, quod est quasi non noscere peccatum, cum verbum, nosco, metonymicè significat idem, quod curo, denique

Synon. & cognatæ appellationes.

matio, quâ Deus judicat pœnam peccato debi-
tam non esse luendam credentibus, ob ju-
stitiam Christi verâ fide ap-
prehensam.

1. In fontibus est futurum per enallagen Hebraeis usi-
tatam: idq̄, retinuit Græcus: λογίσεται. Sed Latinus interpres
in præterito: imputavit. Lutherus autem noster in presenti:
cui non imputat Dominus iniquitatem. Notat enim Spiritus
Sanctus continuationem simul hujus divine actionis erga
credentes. Nimirum beati, qui primitus per fidem justificantur,
quia tunc omnia antegressa peccata illis remittuntur: sed &
porro beati sunt, quando remissio peccatorum illis per fidem per-
severantem divinitus continuatur, aut cum iterum lapsi resi-
piscunt, & verâ fide ad Christum confugiunt: & deniq̄, beati
sunt fideles in exitu vitæ, quam sic terminant, ut Dei gratiam
& jus ad vitam æternam retineant, atq̄, sic vitam gratiæ vita
gloriæ, ceu præmium æternum, excipiat.

2. Verbum Hebraum דָּוַן idem est, Quæ cogitavit, delibe-
ravit, consultavit, ratiocinatus est, & rationibus examinatis
conclufit: 2. numeravit, quia numerus à cogitatione dependet,
& per eam numeratio peragitur: 3. æstimavit, hoc vel illo loco
habuit, reputavit, & his iisdem significatibus usurpatum inve-
nitur etiam vocabulum Græcum λογίζεσθαι, quod LXX-viralis
& Apostolus Paulus adhibent.

3. Caterum tam verbum Hebraum, quàm Græcum
λογίζεσθαι additum Dat. personæ, singularem obtinet significa-
tionem, & valet idem, quod ἐλλογέειν, quo vocabulo Paulus uti-
tur ad Philemonem v. 18. Si quâ in re affecit te injuriâ, aut
aliquid debet, mihi imputa: seu, ut Chrysostomus exposuit.
πρὸς ἐμὲ ἔχεις τὴν ὀφειλὴν, ad me referes debitum. Varinus ex-

ponit per aliud compositum, nempe προσλογίζεσθαι, addito exem-
plo: τὰ παίδων ἁμαρτήματα ὁ θεὸς τοῖς πατέρας λογίζεσθαι ἀντὶ τῆς
προσλογίζεσθαι ἢ ἀνατίθησι, filiorum peccata Deus patribus impu-
tat, aut adscribit.

4. Caterum exempla hujus syntaxeos & significationis
in V.T. sunt plura, ut Lev. 17. αἷμα λογισθήσεται τῷ ἀνθρώπῳ ἐκεί-
νω, sanguis imputabitur viro illi, h. e. reus erit illo, sicut Latina
vetus reddit. Et Num. 18. v. 27. λογισθήσεται ὑμῖν, & reputabitur
vobis. 2. Sam. 19. v. 19: ne imputet mihi Dominus meus ini-
quitatem.

5. *Vetus Interpres Latinus usurpavit verbum imputa-
re, quod est adscribere in rationibus, cum ille putantur, confe-
runtur, & liquida sunt. Ita Seneca epist. 8: Hoc non impu-
to in solutum de tuo tibi, id est, hoc tibi exhibeo de tuo,
ideò non habeo inter illa, quibus debitum meum exsolvam.
Et lib. 3. de irâ sub finem: Fatum stat super caput, & per-
cuntis dies imputat, i. e. dies, quos labi aut excidere tristibus
ac pravis curis patimur, eos fatum colligit, & in expensi tabulis
ponit. Deinde pro qualibet estimatione mentis accipitur, quâ
quid ad aliquem refertur, eiq; attribuitur, ut Seneca in Conso-
lat. ad Martiam: Optimè de posteris meruisti, ad quos
perveniet incorrupta rerum fides, magno auctori suo
imputata. Et Svetonius de Nerone: Cùm quidam ultrò fa-
terentur crimen, nonnulli etiam imputarent. Et apud
Tacitum lib. 1. Histor. Otto Imperator ait: Hoc solum erit
certamen, quis mihi plurimum imputet? Sic & Tertul-
lianus adversus Gentes cap. 3. hoc vocabulum usurpat: Ita
nomen emendationi imputatur.*

6. Germanicè exponitur *zurechnen* / quasi in numeran-
do & supputando assignare, in supputando attribuere. Nam
rechnen est numerare.

THE-

THESIS VIII.

Porro hæ phrasæ à contrario sensu inferunt justitiæ Christi, à credentibus apprehensæ, imputationem, & hinc amicitiam eorum cum Deo, & dignationem, quâ ceu justis præmia deputantur.

1. *Remoto enim uno contrariorum immediatorum, necessariò ponitur alterum.* Cùm ergò non imputatur peccatum, utique imputatur justitia. Id quod evidentissimè Paulus asserit Rom. 4. ex quo sic argumentamur: Beati sunt justitiâ imputatâ justis, v. 6. 7. Sed hi, quibus remissa sunt peccata, sunt beati. Ergò hi, quibus remissa & non imputata sunt peccata, sunt justis justitiâ imputatâ. Quare remissio peccatorum imputationem justitiæ includit, quia justificatio, ceu unus integer actus, hoc diversorum terminorû respectu describitur.

2. *Eadem est ratio & cæterarum phrasium.* Sicut enim dùm corpus vestitur, actus diversi sunt, tectio nuditatis & induitio vestimenti, differentes non re, sed tantùm ratione, & respectu terminorum à quo, & ad quem; Nam quoad τὸ εἶναι, utraque est unus actus, scilicet vestitura, quandoquidem tegendo nuditatem induitur vestis, & induendo vestem tegitur nuditas: Sic in justificatione, quæ vestitura Gal. 3. v. 27. comparatur, positâ tectioe peccatorum, ponitur etiam induitio justitiæ Christi, propter quam credentes DEO placent, & amici ejus sunt, sicut Abraham Amicus DEI vocatur, Jacob. 2. v. 23.

3. *Similiter concurrit & non imputatio peccati, pœne meritorii, & collatio præmiorum justitiæ in justificationis actu.* Nam remittendo & tegendo peccata DEUS imputat justitiam, & non imputando peccatum, sed justitiam, remittit peccata. Atque sic justificatio modò ἁγιασμός describitur, cùm peccatum non imputatur, modò ἁγιασμός, cùm justitia imputari dicitur.

THE-

THESIS IX.

Certam verò esse hanc causam beatitudinis, probat Psaltes firmissimè, tum ab experientia propria, tum à sanctorum omnium exemplo, tum denique ab effectu.

1. *Methodus est analytica & accuratissima, dum utitur geminà inductione didascalica. Prima habet sic: Ego à miseria liberatus sum per remissionem peccatorum. Sancti omnes hoc modo liberati. Ergo & alii ex remissione peccatorum expectes erunt miseria, & beati, si verè crediderint.*

2. *In exemplo suo exhibet considerandam MISERIAM SUAM, quæ oppositum est BEATITUDINIS. Sicut enim hæc est gratia divina & premiorum justitiæ imputatæ fruitio: ita miseria est ira & vindictæ divina sensus. Ira divina sensus describitur 1. à signo, quod est inveteratio, seu consumptio ossium: Inveteraverunt ossa mea. Verbum יָשַׁן significat idem, quod senuit Gen. 18. vetustate attritus fuit, sicut calceamenta attrita, Jos. 9. v. 13. & vestimenta inveterascentia, Psal. 102. v. 27. Sic Jeremias Thren. 3. v. 4. conqueritur, vetustam factam esse carnem suam, & pellem nigram & attritam. Nam ut Aristoteles lib. 5. de Generat. Animal. docet, per ægritudinem totum corpus inopiã caloris naturalis laborat. Ibidem testatur, multis idcirco per ægritudinem pilos canescere, postea verò ubi convaluerunt, viresq; receperunt, homines mutare crines, & quasi juvenes ex senibus reddi antea ægros. Quod si hoc in crinibus evenit, ut in iis ob defectum caloris cruditas oriatur, & inde canities: multò magis in ossibus & cæteris viribus infirmitas apparebit. Propterea paulò post Philosophus dicit: Morbum esse $\gamma\eta\rho\alpha\varsigma$ Πρωκλήσιον , senectam adventitiam; senectam verò esse $\nu\acute{o}\sigma\omicron\nu$ Φυσικὴν , morbum naturalem. 2. ab Effectu: Cum*
clama-

clamarem, & vocem præ angustia horrendam instar leonis rugientis ederem. Hanc enim emphasin habet vox *אָרָב*, ut videre est Esai. 5. v. 29. Zach. 11. v. 3. & Psal. 22. v. 2. Unde Aquila reddit: ἐν βρυχήματι μου, in rugitu meo. Quò accedit vehementia doloris ex diurnitate: omni die, i. e. semper. Est enim ita comparatum cum malà conscientia, ut nunquam non lancinet pectus, & excruciet sceleratum animum, quando illa semel evigilavit. Nimirum Davidis mentem subibat adulterium cum Bethseba patratum, deinde dolus erga Uriam usurpatus 2. Sam. 11. v. 8. dum voluit supponere Uriæ sobolem adulterinam, quando iussit eum lavare pedes suos, i. e. curare corpus, & se recreare cum uxore suâ, & propterea misit ferculum regium post eum, quo scilicet alliceret tantò magis eum, ut genio indulgeret, & cum uxore concumberet. Sed ubi recusavit Urias domum divertit, & mansit in domo regia, tunc David ipsum inebriavit, putans hoc modo eum descensurum facilius in domum suam ad conjugem. Sed cum ne sic quidem perficere potuit, ut Urias descenderet in domum suam, & cum uxore suâ concumberet, ideò tandem pro dolo vim usurpavit, & Uriam in castra ablegatum iussit in frontispicio aciei collocari, ut interficeretur.

3. Sensus autem vindictæ vel pœnæ divinae significatur illis verbis: Quoniam die ac nocte gravata est manus tua super me.

4. Ipsa vindicta Dei vocatur manus ejus *ἀνδρωπότης*, significando potentiam, per quam vindicta divina exercetur; sicut homines solent opus quoddam manibus conficere. Duplex autem est Dei manus *ἀνδρωπότης* sic dicta: una, justitiæ punitivæ, qualis manus aggravata est super incolas agri Astod, 1. Sam. 5. v. 6. & super magum Elymam Act. 13. v. 11. deq; hac scribitur Hebr. 10. v. 31. Horrendum est incidere

C

in

in manus Dei viventis. *Altera autē manus est vel misericordiae, justitiæ remunerativæ; vel paternæ castigationis, temperatæ cum misericordiâ. De hac manu loquitur David 2.Sam.24.v.14: Melius est in Dei (cūm paternè castigat, & non in furore ulciscitur) quàm in hominum manus incidere. Et 1.Petr.5.v.6. Humiliemini sub potenti manū Dei.*

5. *De prior manu hic loquitur Psaltes, quia considerat Deum adhuc, ut severum judicem, idēo secundo describit vindictam ab acerbitate: gravis fuit manus tua super me, id est, valdè me pressit. Nam manus stricta justitiæ Dei premit peccatorem gravitate tabularum Mosis, magnitudine ira, onere variarum pœnarum, & nisi pœnitentiam agat, tandem ad infernum usq; supprimit.*

6. *Insuper pœnæ atrocitatem auxit continuus tenor: Ideo addit: Interdiu & noctu. 2. ostendit illam, miserabilis eventus, quem indicat particula (quoniam) initio versus posita, vindictam hanc consequens: Succus meus versus est in siccitates æstatis, i.e. prorsus exaruit corpus meum, & succus omnis, seu humidum radicale in me ferè fuit absumtum. Nam humidum radicale corpus humectat & fovet, quo deficiente corpus à calore absumitur & exarescit. Exaggerat autem Psaltes suam maciem & exiccationem corporis à magnitudine, comparans cum siccitatibus æstatis, seu quales solent esse in æstate, quæ refert æstuantē Dei iram. Pertinent hæc loca parallela, eandem similitudinem proponentia, ut Esa.40.v.7. & 1.Petr.1.v.24.: Omnis caro est ut gramen, omnis gloria ut flos graminis, exaruit gramen & flos ejus decidit. Et Jac.1.v.11. Exorto Sole cum æstu exaruit herba, & flos illius decidit; ita dives marcescit in divitiis suis.*

7. *Atq; hinc Psaltes generalem applicationem vult fieri, unde cognoscatur, omnes peccatores ante reconciliationem sibi*

sibi esse similes, i. e. miseros, ira Dei & vindicta ejus obnoxios. Ideò apponit vocem, Selah; qua, ut Aben Ezra, & David Kimchi annotant, est signum intendendae vocis & melodia ad excitandum animum: Proinde vult bene notandam esse hanc sententiam de atrocitate peccati, & miseriâ peccatorum.

II. QUALITATEM PERSONÆ SUÆ describit, quando hanc beatitudinem consecutus est: nempe veram poenitentiam de peccato suo, quod hisce duobus versiculis, similiter triplici illâ, quâ superius usus est, appellatione indigitat, cuius facit duos actus: contritionem, & fidem.

2. Contritionem enunciat non tantum positivè, sed & negativè, ut ita tantò magis pandat serietatem suam, per istam contrarii remotionem, quæ signatissimum sensum habet, & plus exprimit, quàm affirmatio: ut cum Joannes Baptista dicitur Job. 1. v. 20. confessus est, & non negavit: & huic negotio accommodatissimum exemplum extat Jos. 7. v. 19. ubi ad Achanem ait: Confitere atq; indica mihi, quid feceris, ne abscondas.

3. Positivè contritionem suam describit: Notum feci tibi peccatum meum. Novit quidem Deus ut omnes actus, ita & peccata Davidis, ratione omniscientia: Eadem tamen hic se nota Deo facere tradit, quoad suimetipsius accusationem in judicio, cui se sistens agnoscit, & fatetur offensam Dei & meritum poenarum. Hinc Ambrosius tom. 4. f. 194: Novit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat, non vult, ut insultet tibi Diabolus, & celantem peccata tua arguat, præveni accusatorem tuum, si te ipsum accusaveris, accusatorem nullum timebis.

4. Negativè autem agnitionem peccati effert, cum ait: & peccatum meum non operui, id est, non amplius dissimulavi, aut palliavi, sicut ante poenitentiam testatur se siluisse.

Itaq; opertio hæc peccati longè differt ab illâ, quam suprâ beati-
tudinis causam esse statuit. Aliter enim Deus tegit peccatum:
aliter homo impœnitens. Hæc extremè miserum, illa summè
beatum reddit.

5. FIDEM autem SUAM testatur David oratione fi-
deli, quâ culpam deprecatur, & veniam petit: dixi: confite-
bor Domino super transgressionibus meis. Versio LXX-
viralis & Latinus interpres reddiderunt: Confitebor κατ'
ἐμὲ, adversum me injustitiam meam Domino. Interim
sensus, quem ex versione Latinâ eliciunt patres, coincidit cum
priori; Qui enim confitetur super transgressionibus suis, ille
seipsum accusat, non Deum, non astra, fatum, casum, fortunam,
non alterius consilium, suasionem, impulsum, aut exemplum.

6. Notat autem 1. sinceritatem fidei suæ, quâ cordis
motus respondet externæ deprecationi: Dixi in corde meo, ubi
probè me probavi, excussi meam vitam, & simul expendi mise-
ricordiam, omnibus in Messia promissa, magnitudinem. 2. Agni-
ti peccati deprecationem, & veniam petitionem: Confite-
bor super transgressionibus meis, id est, deprecabor illas
coram Domino. Confessio namque externa, ubi seria est, pro
diversis actibus pertinet ad contritionem, cujus signum est
confessio peccati, quâ nos illud agnoscere, dolere & detestari de-
claramus, & ad fidem, cujus itidem signum & exercitium
confessio, cum deprecamur peccata, & propter Christum ve-
niam petimus. Exemplum præbet Publicanus Luc. 18. dicens:
DEUS, esto mihi peccatori propitiûs. Hinc Chrysostomus
Homil. 2. in Symb. Apost. ait: Ex fide fit initium confessio-
nis. Quò etiam respicit Salomon 1. Reg. 8. v. 35. cum in dedica-
tione templi orat, ut exaudiantur & remissionem impetrent,
qui ibidem pœnitentiam egerint, seu confessi fuerint nomini
DEI.

7. Hæc

7. *Hæc itaque serietas & sinceritas pœnitentiæ Davidicæ opponitur pristino ejus silentio, quo volebat peccata sua palliare, nec illa deprecabatur: Quoniam tacui, scil. peccata mea: unde Isidorus in 2. Sent. c. 24. quid tacuisse se pœnitet, nisi confessionem peccatorum? Distulit autem David pœnitentiam ad minimum per decem menses. Interea temporis securus fuit.*

8. *Neque hoc silentium tollit clamor, quo se quasi rugiisse in angore suæ conscientiæ profitetur. Nam tacuit peccatum, clamavit autem ob pœnam, cujus sensu horribili omnes ejus vires elanguerant.*

9. *III. Denique CAUSSAM suæ LIBERATIONIS & BEATITUDINIS addit: Et tu remisisti iniquitatem peccati mei. Alloquitur Dominum, de quo antea dixit v. 1. quod non imputet peccatum illi, in cujus corde non est dolus. Quamvis enim Nathan Davidi remittebat peccatum, cum diceret: Dominus abstulit peccatum tuum: 2. Sam. 12. v. 13. tamen Nathan erat tantum administer hujus operis, & remissionem peccatorum annunciabat ita, ut hæc annunciatio esset medium, per quod DEUS ageret, tanquam auctoritativam habens potestatem remittendi peccata. Hujus enim lex violatur, illius pœnam incurrit peccator, ejusq; gratia absolvitur.*

10. *Materia, circa quam versatur hæc DEI actio, est iniquitas peccati. Voces Hebrææ: חַטָּאת וְעִוְיָא supra sunt explicata. Hoc loco addimus, vocem וְעִוְיָא propriè significare ἀνομιάν, à lege deflexionem, dictam ab incurvatione seu obliquitate: nam radix est עִוְיָא, curvus fuit, & contortus, nempe quia peccatum discedit à regulâ justitiæ: sæpè etiam significat meritum peccati & dignitatem odii propter illud patratum, pœnamq; ipsam, ut apparet c. 28. Exod. v. 38. & 43. Num. 18. c. 1. Sensus itaq; est: Ignovisti mihi reatum peccati mei, liberaisti me à pœnâ, & infontem habuisti, quasi illud non patrassem.*

11. Deniq; remissionis peccatorum cum contriti peccatoris fide, immediatam cohesionem significat particula connexiva ET. Nam posita pœnitentiâ ponitur reconciliatio cum DEO, sic ut contritio quidem, quæ prior est pœnitentiæ pars, sit nudum antecedens, fides autem, quæ altera est pœnitentiæ pars, sit organum salutare, per quod accipimus remissionem peccatorum. Est enim immediata cohesio fidei & absolutionis à peccato, unde Bernhardus de intern. dom. c. 37: Quacunque horâ peccator conversus ingemuerit, salvus erit, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Item: Festinat misericors Deus absolvere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet misericordem Deum compassio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui. Qui enim verè pœnitet, & veraciter dolet, absq; dubio & absq; morâ indulgentiam accipiet. Augustinus, individuam hanc remissionis peccatorum cum pœnitentiâ connexionem considerans, ex prioribus verbis respicit futurum, confitebor; & hinc extollit promptitudinem divinam in remittendis peccatis; quid, ait, dixisti? (Alloquitur enim Augustinus Davidem, cujus verba sunt: dixi, confitebor,) Non jam pronunciat, sed promittit se pronunciaturum, & ille (DEUS) jam dimittit. Attendite, fratres, magna res, dixi, pronunciami, & tu dimisisti. Quia eo ipso, quod dixit, pronunciam, ostendit, quia nondum pronunciam, sed corde pronunciam. Hoc ipsum dicere, pronunciam, pronunciam est, ideò & tantum remisisti iniquitatem cordis mei, confessio verò mea ad os nondum venerat. Dixeram enim, pronunciam adversum me, veruntamen DEUS audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, auris DEI in corde erat. *Hactenus Augustinus.*

12. Sic

12. Sic ergò David à suo exemplo universalem collectio-
nem facit, quia eadem ipsius, quâ credit, & aliorum fidelium,
in negotio justificationis est ratio, una & ἰσότης 2. Pet. 1. v. 1.
fides, una justitia fidelibus olim & nunc imputata, unus Domi-
nus, unus Spiritus, unum corpus, quod est Ecclesia, Ephes. 4, 4.
Sicut Paulus Rom. 4. v. 23, 24. similiter ex unico Abrabæ ex-
emplo inductionem didascalicam extruit: quod fieri posse, cum
necessarius est terminorum nexus, filii Logicorum norunt.

THESIS. X.

Similiter ab exemplo omnium sanctorum Spi-
ritualem beatitudinem ex remissione peccato-
rum oriri probat, ordine ponens causam &
subjectum, ejusque affectionem, quæ est
impunitas & beatitudo spi-
ritualis

7. Pro hac orabit ad te omnis sanctus tempore in-
ventionis. His verbis I. CAUSAM indicat vocibus
אֲנִי — לִי quæ variè exponuntur. LXX-viralis & Latinus in-
terpres ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν, pro hac: quod pronomen aliqui referunt
ad iniquitatem: pro hac scil. iniquitate remittendâ. Sed He-
braum vocabulum, quia itidem est fœmin. generis, non potest
pertinere ad vocem אֲנִי quæ masculini generis est, ideoq; in La-
tinâ versione suppleri potest pro hac, scil. re. In fontibus au-
tem fœmininum positum est loco neutrius generis, quo Hebraei
carent. Ideò Symmachus vertit ὑπὲρ, vel ὑπὲρ τῶν, super, seu de
hoc, scil. ut remittatur sibi iniquitas peccati: & sic Lutherus:
dafür. Nam hi omnes particulas illas intelligunt de materiâ
petitionis sanctorum, quæ est remissio peccatorum, eoq; re-
ferri potest Græca & Latina versio, si ellipsis esse dicatur, &
sicut Chartusianus facit, suppleatur, addito substantivo: pro
bac

hac re, scil. quam ego peccata mea confitens verà in Christum fide sum adeptus.

2. *Alii autem exponunt de causâ impulsivâ precatio- nis: propter hoc, seu propter banc causam, quoniam scil. con- donas peccatum, & exorabilis es, ideò orabit te omnis sanctus, sicut Augustinus, Episcopus Eugubinus, & Genebrardus ex Da- vide Kimchi & Aben Ezra annotant. In re ipsâ non ita mul- tum est discriminis. Nam juxta priorem interpretationem hic sensus emergit: Non ex tantùm à Deo fidei precatio accipio remissionem peccatorum, sed omnes etiam sancti; atq; sic verum est, quod dixi, beatum esse, cui Dominus remittit peccatum. Syl- logismus ita formari potest:*

Quam rem omnes sancti adversus reatum su- um à Deo flagitant, ab eâ dependet beatitudo.

Sed remissionem peccatorum adversus reatum suum omnes sancti flagitant à Deo.

Ergò à remissione peccatorum dependet beatitudo.

Quod si posterior expositio allubescat, ordo consequentiæ talis erit:

Propter quam causam omnes sancti adversus reatum suum Deum orant, ab eâ oritur beati- tudo hominis.

Sed propterea omnes sancti adversus reatum su- um Deum orant, ut sibi remittatur iniquitas peccati.

Ergò à remissione istâ provenit beatitudo hominis.

3. II. *Subiectum, seu homo, particeps beatitudinis spiritualis, vocatur sanctus omnis, id est, omnis verè pœnitens, quatenus fidei precatio flagitat remissionem peccatorum. Sanctum hoc loco nullum aliud esse, quàm pœnitentē, constat:*

i. Ex

1. Ex contextu. Sicut enim in generali apborismo Psaltes dixit, ei, in cuius Spiritu non est dolus, i.e. seriam pœnitentiam agenti, remitti peccata; postea suo exemplo comprobavit, sibi peccata sua confesso remissam fuisse iniquitatem peccati: ita quoq; hoc loco ait, omnem sanctum per fidelem veniam precationem accipere remissionem peccatorum. 2. Ex natura pœnitentiæ. Nam qui fidem habent, illi flagitant & impetrant remissionem peccatorum. Pœnitentes fidem habent, quia fides est altera, & quidem potior pars pœnitentiæ. E. flagitant & impetrant remissionem peccatorum.

4. Major probatur, quia in pœnitentiâ sunt due partes: Contritio & fides, quarum illa solo antecessu ordinis, atq; etiam tempore, prior est remissione peccatorum: hæc autem non tempore, sed naturâ tantum prior est justificatione, & ad eam, ceu organum, requiritur, ut supra diximus. Hinc Act. 6. v. 29. 34. 40. 47. & cap. 10. v. 45. remissionem peccatorum dicitur accepturus, qui credit in Christum. 3. Ex fidei effectu: qui fidem habent, illi sunt sancti. Pœnitentes fidem habent. E. Pœnitentes sunt sancti, & per consequens, impetrantes remissionem peccatorum sancti dicuntur hoc loco. Hinc Act. 15. v. 9. Deus dicitur fide purificare corda, ubi purificatio Deo efficienter tribuitur, fidei autem organicè, & quidem 1. imputativè, quatenus fides accipit sanctitatem vel justitiam Christi imputatam, propter quam absolvimur in iudicio Dei. 2. inchoativè, quatenus Spiritus sanctus per fidem incipit corda renovare, & justitiam inherentem in illis pro modulo hujus vitæ operari. Ideò Apostolus ad Eph. 1. v. 1. sanctos κατ' ἐπιζήνησιν appellat fideles. In fontibus est vox ἰσχυρὸν quod passivè acceptum significat beneficiarium Dei κατὰ χάριτος δωρεάν, einen begnadeten / quia remissio peccatorum & gratiosa est, & gratuita.

5. Neminem autem sanctorum excipit David, sed universè

Act. 9. v. 10.
Act. 5. v. 3

versè omnem sanctum nominat, quia 1. sanctitas inherens
est imperfecta, in omnibus hominibus; ideo nemo sanctorum
potest coram Deo justificari, nisi sanctitate Christi apprehensâ.
Hinc Exod. 34. v. 7. conqueritur Moses: Nullus apud Deum
per se est innocens. Et Salomon 1. Reg. 8. v. 46. ait: Non est
homo, qui non peccet. Et Prov. 20. v. 9. quis potest dicere:
mundum est cor meum, purus sum à peccato? Proinde
Augustinus de Nat. & grat. c. 36. Si omnes sanctos & sanctas,
cùm hîc viverent, congregare possemus, & interrogare,
utrum essent sine peccato, quantalibet fuerint excellen-
tiâ sanctitatis: Si hoc interrogari potuissent, unâ voce
clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus,
nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis. Pecca-
tum enim, juxta Ambrosium, est prævaricatio legis divi-
næ, ergò non perfectè in hac vitâ lex impleri potest à re-
natis, quia peccatis carere non possunt.

6. Medium autem apprehensionis est fides, cujus exer-
citiu[m] palmarium est, oratio ad Deum pro remissione peccato-
rum. In fontibus est verbum quarta Conjugat. ^{וְיִתְפַלֵּא} orabit, à
presenti ^{וְיִתְפַלֵּא} quod forensẽ significatum obtinet, & idem
est, ac interpellavit, causam suam ad aliquem detulit dijudi-
candam, supplicavit ad aliũ, tanquam ad judicem, supplex ora-
vit, vel intercessit Deut. 9. v. 21. 1. Sam. 2. v. 5. Chron. 30. v. 18.
Psal. 5. v. 3. Cateru[m] oratio vel est ^{עֲוֹדָה} tantu[m], & in corde,
qualia sunt interna desideria & suspiria, Psal. 138. v. 10. vel
^{עֲוֹדָה}, quatenus externo sermone profertur sensus ille & affe-
ctus internus. Porrò oratio, sive interna tantu[m], sive interna
& externa simul, spectatur vel ut est principalis ^{עֲוֹדָה} fidei,
suspirans gratiam in Christo, ejusq[ue] apprehensionem fiducialem
enunciãns, & veniam precans, vel ut alia objecta flagitat. Po-
steriore modo oratio est ^{עֲוֹדָה} secundaria, quã fideles exer-
cent

cent se in ostendendâ fiduciâ de aliis bonis, divinitus promissis, præter remissionem peccatorum consequendis. Priore autem modo est *crigya* fidei, per quam justificamur. Si enim vera est & non ficta fides, tam in corde, quam in ore se exerit suspirando ad Deum, & flagitando ab ipso remissionem peccatorum. Unde formulæ illæ pœnitentiales Psal. 143. v. 2. ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Dan. 9. v. 18. Non propter ullas justificationes nostras nos procidentes deprecamur, sed propter miserationes tuas amplissimas. Et talis est Publicani Luc. 18. Deus, esto mihi peccatori propitius. Hinc in ipso Baptismo Paulus ab Anania jubetur invocare nomen Domini Act. 22. v. 16. Exurge & baptizare, & ablue peccata, invocato nomine Domini, nempe quia omnis nomen Domini invocans, salvus erit Joël. 2. Id quod & Apostolus inculcat Rom. 10. vers. 10. Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Dicit enim Scriptura: quisquis credit in eum, non confundetur.

Addit autem Psalter amplificationem à circumstantiâ temporis, quo potest flagitari & obtineri remissio peccatorum; illud est tempus gratiæ, in tempore inventionis, vel inveniendi.

Hoc quidam exponunt de calamitatibus ingruentibus, & supplementum sumunt ex Psal. 116. v. 3. Pericula & infernus, seu angores inferni, invenerunt, seu apprehenderunt me. Et Psal. 119. Tribulatio & angustia invenerunt me. Atq; hanc explicationem volunt probare ex vers. 2. Sed supplementum hoc non est necessarium, cum oratio per se sit integra, si hoc membrum referatur ad antecedentia. Ideo alii melius intelligunt de tempore gratiæ, quo licet invenire Dominum, & impetrare remissionem peccatorum, sicut Esaias ait cap. 55. v. 6. Quærite

Dominum, dùm inveniri potest, invocate eum, dùm propè est. Ideò Symmachus ibidem vertit ἐν καιρῷ διαλλαγῆς, tempore reconciliationis. Chaldaeus: tempore acceptabili, seu beneplaciti, sicut Psal. 69. v. 14. tempus gratiae vocatur תְּמִינָה tempus beneplaciti. LXX. habent ἐν καιρῷ εὐθεῖω, tempore accommodato, sicut Hebr. 6. v. 7. Βοτάνη εὐθείῳ, herba dicitur accommodata colono, quam generat terra, imbrem supra se saepius venientem imbibens.

Ceterùm tempus inventionis vel opportunum spectatur vel ratione Dei offerentis illud, sicut Apostolus 2. Cor. 6. v. 2. ait: Dicit enim Deus: tempore accepto exaudi vi te, & in die salutis occurri tibi: Ecce! nunc tempus acceptum, ecce! nunc dies salutis. Vel ita nominatur ratione usurpationis nostræ, cùm tempus illud rectè collocamus, pœnitentiam agimus, & gratiam oblatam apprehendimus. Huc pertinet, quod David 2. Sam. 7. v. 27. de apprehensione promissionis divine loquens dicit: se invenisse cor suum, ut oraret ad Dominum, b. e. se sibi proposuisse, quòd vellet orare, fretus promissione factâ. Illud autem tempus opportunum sive idoneum pœnitentiæ est vita præsens. Nam ubi hinc excessum fuerit, ait Cyprianus adversus Demetrium, nullius pœnitentiæ locus est, nullius satisfactionis effectus.

III. Impunitatem & beatitudinem ipsam memorat, quæ affectio est hominis, qui peccatis agnitis in Christum credit, ex remissione peccatorum proveniens, ut Psalter docet voce וְ, quæ nonnunquam notat exclusionem, ac valet idem, ac tantummodò, saltem: interdum autem causam indicat, & sonat idem, ac quippe, namque, propterea. Unde Symmachus vertit וְ, & Lutherus: Darumb. Neg, particula πλὴν, quam LXX-viralis adhibet metaphrastes, incongrua est: nam & illa nonnunquam est illativa, Luc. 6. v. 35. Ephes. 5. v. 33. Sic ergò
verba

verba habent juxta fontes: Ideò in diluvio multarum aquarum ad eum (sanctum) non pertingent, (tales aqua.)

2. Reatum & odium Dei ac poenas comparat aquis, iisq; non paucis, sed multis, & decumanos fluctus moventibus, neq; id uno & altero tantum impetu, sed tali, qui interminabilis est, & plenâ exundatione se diffundit: quomodo Dominus dicit Osee. 5. v. 10. super eos effundam quasi aquam torrentis iram meam. Alludit Psaltes ad diluvium Noë, quo DEUS omnes impios punivit, servato Noë justo cum suâ familiâ.

3. Impunitas autem & libertas à maledictione DEI exprimitur sequentibus verbis: Non pertingent ad eum (sanctum, aqua tales) Verbum *v. 33* attigit, pervenit, in malam partem, lesit, perdidit. Ideoq; sic beatus erit, qui libet Sanctorum, dum per gratiam DEI immunis est à reatu & vindictâ divinâ.

THESIS XI.

Effecta autem, ex quibus beatitudinem spiritua-
lem à remissione peccatorum provenire de-
monstrat, sunt accessus ad DEUM, pax, patien-
tia, & gloriatio in adversitatibus, & fidu-
cia liberationis.

1. Tu es refugium meum, à tribulatione (*angu-
stia*) custodies me: canticis liberationis circumdabis
me. Selah.

2. Hinc David ita vult concludere: Quod facit, ut
in mediis tribulationibus accedamus ad Deum, & de
eo gloriemur, fiducia liberationis omne malum tole-
rantes, id est causa beatitudinis spiritualis. Remissio
peccatorum facit, ut in mediis tribulationibus acceda-

mus ad DEUM, de q; eo gloriemur, &c. Ergò remissio peccatorum est causa beatitudinis.

3. *Psalmes μνημόνων representat suspirium hominis sancti Deo reconciliati, ideoq; versus hic cum priore connectendus est, suppletionem verborū: qui (sanctus) dicit: Tu refugium, &c.*

4. *Ceterum formula hæc fidelis suspirii piorum sumit exordium à fiduciali compellatione DEI: Tu scil. Jehovah, à quo accepi remissionem peccatorum. Fiduciam autem testatur mentione bonitatis divinæ erga pios afflictos: Tu latibulum mihi es, i. e. ad te possum refugere & tuitionem invenire, ac multò securiorem receptum, quàm Noa in arcà tempore diluvii habebat, Gen. 7.*

5. *Narratio, quâ desiderium suum exponit, est petitio præservationis ab angustia: à tribulatione, vel angustia custodies me. Nam remissione peccatorum impetratâ, pii quoq; tuti sunt à maledictione DEI, & desperatione in angustis.*

6. *Confirmatio sumitur à multiplici varietate & sine bonitatis divinæ. Nam beneficia divinæ non ex unâ tantum vel alterâ parte obveniunt piis, sed undiquaq; circumdant eos, ut quocunq; se vertant, bonitatis divinæ argumenta deprehendant. Finem autem hac ipsâ copiosâ bonitate suâ DEUS hunc vult habere, ut præbeat materiam se celebrandi & glorificandi, & hoc significat David, cum ait: Canticis liberationis circumdas me, i. e. copiosa est tua liberatio, quæ me undiq; circumdat, ut habeam materiam uberrimam te celebrandi. Hi enim sunt clamores, vel cantica liberationis, quibus pii fatentur, se Deo soteria debere, propter liberationem ex tentationibus & periculis, in circuitu quasi ipsos distinentibus. Sed ex angustiarum circulo nos expedit divinæ manus, undiquaq; nos asserentis, circulus.*

7. *Epilogus celebrationis, vel suspirii hujus, denotatur verbo*

verbo Selah, quâ Psaltes significat, immensitatem divinarum beneficiorum, nempe remissionis peccatorum, & inde provenientium fructuum, imis sensibus esse reponendam, & perpetuâ memoriâ usurpandam in praxi Christianâ. Et tantum de Analysis prioris partis in hoc Psalmo, de justificatione tractantis.

Ποσιμαλα. I.

Justitia inhærens non pertinet ad justitiam, quâ coram DEO justi censemur in justificatione.

1. Contendunt hic Pontificii, ex ipso contextu Psalmi liquere, quòd inhærens justitia pertineat ad formam justificationis, & remissio peccati sit totalis peccati deletio, cum infusione justitia, quia remissioni, tectio, & non imputationi peccati Psaltes immediatè subjiciat expulsionem doli.

2. Resp. Hoc tantum ex contextu manifestum est, quòd pœnitentia requiratur, quoad contritionem quidem ante justificationem, quoad fidem autem relativè spectatam ad justificationem, ut organum. Nam fides in justificatione non est forma, nec requiritur ad justificationem, ut est qualitas, vel opus: sed in justificatione opus esse desinit, sicut Paulus ait Rom. 11. Quod si per gratiam, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia: si ex operibus, jam non ex gratiâ, alioquin opus non est opus.

3. Inde apparet, fidem, quia in justificatione subordinatur gratia, excludenti opus, in suo correlativo respectu non esse opus. Ratio est, quia apprehendit justitiam: non ergò est justitia, aut operatur justitiam, aut opus taliter justum, quod in se Deo placeat. Aliàs non opponeretur operibus & justitia nostra, nec subordinaretur gratia, opus alienum, nempe Christi
justi-

justitiam imputanti: quod testatur Apostolus Ephes. 2: Gratiâ
salvati estis, idq; non ex vobis, D E I donum est, ne quis
glorietur.

4. Quòd autem justitia inherens non est illa justitia,
quâ coram D E O justi sumus, confirmamus: 1. EX NOSTRO
PSALMO. Nam justificatio & remissio peccatorum, in judicio
D E I, est actus simultaneus & individuus. Sed justitia inherens
non est actus simultaneus individuus, verùm partialis, atq; suc-
cessivus, qui recipit magis & minus, qualis actus est fides, dùm
spectatur ut opus, & omnis novitas vitæ, quia interior homo
de die in diem renovatur, 2. Cor. 4. v. 16. Hinc Paulus Phil. 3.
v. 13. fatetur, se perfectam & plenam Christi cognitionem,
nondùm assecutum esse, ideoq; cupit inveniri, non habens suam
hanc justitiam, sed eam, quæ est fidei. Quare justitia inherens
non justificat, & beatum reddit. 2. Per quod agnoscitur nu-
ditas, i. e. peccatum, & quo induitur Christus ad tegendam
nuditatem coram D E O, illud non est id, quo tegitur nuditas.
Sed per contritionem agnoscitur nuditas, seu peccatum, & per
fidem induitur Christus, ad tegendam nuditatem coram D E O.
Ergò contritio & fides non est id, quo tegitur nuditas. 3. Quod
non tollit imputationem peccati, id non est causa beatitudinis
& impunitatis. At nulla dispositio & justitia inherens tollit im-
putationem peccati: quia imperfecta est. Ubi autem imperfe-
ctio, ibi peccatum. Ubi peccatum, ibi reatus imputabilis. Aliàs
non oraret omnis sanctus ad D E U M, ut remittatur sibi pec-
catum.

5. Altera sedes rationum pro conclusione nostrâ est in
Epistolâ Rom. 4., quæ expressè beatitudinis causam ponit in
remissione, tectioe, & non imputatione peccati, non etiam in
qualitate inherente & vitæ novitate, quia omittit Paulus ver-
ba reliqua Psalmi nostri: in cuius spiritu non est dolus,
tanquam

tanquam non pertinentia ad justitiam beatos reddentem, quales ibidem predicat. Deinde non imputationem peccati exponit per imputationem justitiae absq; operibus. v. 6. Reputamur enim justi non nostrâ, sed Christi justitiâ, per fidem apprehensâ. Quare fides, ut est opus, non est justitia coram DEO valens, multò minus autem contritio, aut vitæ novitas. Prout autem fides apprehendit meritum Christi, eatenus quidem est instrumentum, rem justificam apprehendens, non tamen res ipsa ex se justificans, nec vim meritoriam gratiæ, peccatum non imputantis, in se continet.

Πόρισμα II.

Propterea & sancti semper egent remissione peccatorum.

1. *Hoc fit duobus modis. Nam 1. simul ac homo in sui conversione fidem in Christum habet, statim fide illâ remissionem omnium peccatorum accipit. 2. Etsi in fide illâ perseverent: nihilominus tamen precantur à Deo remissionem I. quoad continuationem remissionis peccatorum pristinorum. Nam, ut est Thren. 3. v. 23. novæ quolibet mane misericordiæ Domini. Et Apoc. 22. v. 11. dicitur: qui justus est, justificetur adhuc. Quamvis enim justificatio coram Deo non recipiat gradus & incrementa, ita ut quis possit justior fieri justitiâ imputatâ: tamen ea rectè dicitur continuari, servata per fidem perseverantem; neq; particula ἐν in loco Apocalyptico significat incrementum, sed continuationem tantum, qualis significatus habetur etiam Apoc. 10. v. 6. & cap. 22. v. 3.*

2. *Patet hoc 1. ex naturâ divinæ remissionis peccatorum, quæ peccatum quoad existentiam non tollit, sed illud tegit, & non imputat, ita ut per alienam, nempe Christi, justitiam*

E

homo

homo fidelis sit justus, licet in se habeat peccati reliquias, nec ipsi inbrear perfecta justitia, cum lex semper inveniat in illo, quod damnare possit, si secundum justitiam inhaerentem judicari deberet. Exemplo est Abrahamus jam multo ante conversus, qui tamen postea non alio modo justus est apud Deum, quam fide in Messiam, Rom. 4. v. 13. quia non operanti, sed credenti in eum, qui justificat impium, fides imputata est ad justitiam Rom. 4. v. 5. & David se fatetur servum esse Dei, id est, jam conversum, & tamen non vult experiri judicium Dei, de sua propria justitia ferendum, Psal. 143. v. 2.

3. Memoratur II. in scripturis hic effectus fidei perseverantis, ut per eam continuetur justificatio Rom. 5. vers. 2. Fide stamus & gloriamur spe gloria filiorum Dei. Et 1. Pet. 1. v. 5. Virtute Dei custodimini per fidem. Quare & perseverante fide remissio peccatorum continuatur.

4. Apparet hoc III. etiam ex opposito, quia remissio peccatorum semel facta, per infidelitatem & peccata contra conscientiam irrita redditur, ita ut homini taliter lapsa peccata pristina denuo imputentur; sicut apparet ex parabolâ Matt. 18. v. 32. ubi debitor consecutus gratuitam remissionem totius debiti v. 33. crudelitate sua erga fratrem perficit, ut tradatur debitoribus, quoad usq; solvat ultimum quadrantem v. 34. atq; ita totum debitum reddat; & postea Christus v. 35. applicationem facit: Sic & pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis &c. Quod idem de omnibus peccatis regnantibus accipiendum est.

5. Deinde sancti fidem retinentes, etiam fide illâ in Christum precantur remissionem peccatorum infirmitatis de novo accipiendam. Nam peccatum originale subinde est actuosum, & concupiscentias vitiosas excitat, quae sanctificationis beneficio mortificantur, ne praevalcant & dominium obtineant;

ant;

ant; In justificatione autem per fidem adhuc presentem, & non excussam, earum remissio petitur & obtinetur. Quamdiu enim aliquis manet verè fidelis, tamdiu etiam peccatorum ignorantia & infirmitatis remissionem per fidem illam accipit.

6. Quare horum verborum sensus emergit iste: Sancti, qui fide, sanctitatem Christi apprehendente, purificantur, & propter illam Christi sanctitatem, fide apprehensam, sancti reputantur, ii sunt, qui peccatorum suorum omnium remissionem verè fide precati obtinent, eandemq; fide perseverante continuant, nec non & peccatorum novorum, infirmitatis & ignorantia, ex residuâ peccati originalis radice in renatis subinde pullulantium, veniam quotidie flagitant.

7. Hoc diligenter est observandum, quia olim contra Pelagianos acerrimè defenderunt Patres Africani Can. 6. 7. 8. Concilii Carthag. III. quod vulgò Milevitanum nuncupamus. Et statuerunt etiam, pios quosvis opus habere oratione & remissione peccatorum, idq; non solum pro aliis, sed & pro se, neq; id ex humilitate tantum, ut voluit Pelagius, sed verè: Nam ut ex Augustino patet, tria fuerunt capita erroris Pelagiani. Negabant enim peccatum originale, gratiæ necessitatem, & hominis imperfectionem in hac vitâ. Contra tertium errorem objiciebant Patres, quòd ex eâ sequatur, non necesse fore, ut homo in hac vitâ dicere cogatur orationem dominicam, in quâ precemur: dimitte nobis debita nostra; respondebat Pelagius, in oratione hac dici: NOBIS, non MIHI, ideoq; si non pro nobis, at pro aliis tamen esse orandum. Sed cum Patres urgerent, unumquemq; pro se orare debere remissionem peccatorum, respondit Pelagius, humilitatis esse, ut etiam, qui perfectus est, credat, se nondum perfectionis metam attigisse, eoq; rectè facere, si dimissionem peccatorum exposcat. Patres verò docuerunt, non tantum humiliter ab omnibus ita orari debere,



sed & veraciter, quòd nemo posset legem Dei perfectè adimplere. Videatur etiam ante mota ista certamina Cyprianus de oratione dominica ultra mediam; & qui in refutatione Pelagii familiam ducit, Augustinus ad Hieron. epist. 29.

8. II. Tenendum & hoc probè fuerit contra Pontificios, qui statuunt, per orationem: Remitte nobis debita nostra; non dici pro remissione concupiscentiae, nisi motibus ejus voluntate consentiamus Bell. lib. 4. de Justif. c. 20. §. final. Resp. Sed Jesuita hoc deducit ex falsa hypotbesi Papistarum, negantium concupiscentiam esse partem peccati originalis, & effectum duntaxat illius, & impotentiam Naturalem esse dicentium. Longè verò aliud Paulus docet Rom. 7. v. 7. ubi expressè concupiscentiam vocat peccatum, Legi, dicenti: non concupisces: repugnans. Quare illud ut peccatū in justificatione remittitur, & illa remissio in quintâ petitione à credentibus petitur cōtinuari & conservari: quòd de peccatorum remissione pristina concedit ipse Bellar. lib. 4. de justif. c. 20. §. antepenult. Sed & II. in eo veritati cœlesti repugnant, quando peccata Sanctorum, quos David ait orare pro remissione peccatorum, ajunt in se & suâ naturâ esse venialia, sc. ratione reatus ad pœnam æternam; seu ea non auferre gratiam DEI & esse ejusmodi, ut si quis illis non expiatis moriatur, mortem tamen æternam subire non teneatur, sed tantum temporalem pœnam mereatur, sicut præter cœteros videre est apud Bellarm. l. 1. de amiss. gratia & statu peccati, c. 5, 8, 10.

9. Resp. Omne peccatum atq; sic etiam veniale est à voluntate, i. e. contra legem; quæ transgressoribus suis maledictionem divinam impingit. Ubi verò ira & maledictio, ibi quoq; reatus ad mortem æternam præstò est. Si ergò in se meretur mortem æternam, nõ erit in se veniale. Pœna n. & venia, punitio & remissio sunt opposita, & Deus, qui secundum Legem judicans peccantibus

tibus irascitur ; veniam peccatorum prater & supra legem ex Evangelio propter Christum fide apprehensum concedit.

10. Quando verò à nobis, cum de renatis & jam ante justificatis loquimur, peccatum veniale distinguitur à mortali, tum hoc dicimus non eo respectu, quasi veniale quoq; non sit meritum mortis aeternae, licet mortali peccato levius sit: Verùm asserimus illud ratione subjecti credentis, cui meritum mortis aeternae, ex hoc etiam peccato provenientis, actu non imputatur, propter Christi meritum fide apprehensum; sicut excidentibus gratia & mortale peccatum committentibus, meritum aeternae damnationis actu imputatur. Qui enim non credit in filium, judicatur. Johan. 3.

11. Non ergò veniale peccatum dicitur vel ob levitatem suam, qua veniam à reatu aeterno consequantur peccantes: neq; ideò quia reprimitur & coercetur; nam & non renati affectus & estus carnis aliquando restinguunt: sed respectu fidei apprehendentis gratiam, qua Christi justitiam imputat, & sic credentem justificat.

12. Proinde veniale dicitur, quia actus imputandi reatum impeditur à misericordia DEI, quam fides in Christo desiderat & in precatone remissionis peccatorum flagitat. Bellarminus verò hoc invertit lib. 4. de Just. c. 20. §. 1. & ideò, quia veniale sua natura sit, ad reatum mortis aeternae non imputari asserit. Adversus quam opinionem Jesuitae optimè faciunt, quae olim Gerson (quem Catholicorum numero non excludent Pontificii) ex professo differuit in opusculo de vita spirituali animae lect. 1. Omne peccatum, pro quanto est offensa DEI & contra legem ejus aeternam, est de sua conditione & indignitate mortiferum, secundum rigorem justitiae & à vitâ gloriae separativum. Ratio est, quia omnis offensa in DEUM potest justè puniri à justo judice poenâ

mortis, tam temporalis quam æternæ: imò annihilatio-
nis pœnâ. Est igitur de se mortifera. Assumptum deduci-
tur ex hoc, quòd nulla pœnataлис est ita mala, quantum
mala est ipsa offensa. Et ex alio: quòd potius toleranda
esset omnis mors pœnalis & annihilatio, quàm commit-
tenda esset, quantumlibet parva offensa in DEUM. Da
oppositum: Jam offensa DEI licitè fieri deberet in casu;
præterea quævis offensa DEI, nisi remitteretur, repelle-
ret à gloria DEI perpetuò, & absq; termino puniretur:
alioquin maneret dedecus culpæ sine decore justitiæ:
quòd autem offensa dimittitur seu remittitur, est ex pu-
ra liberalitate DEI remittentis & non amplius imputan-
tis: *Et non longè post*: Ex radicibus argumentorum videtur
sufficiens esse deductum, quòd omnis offensa DEI est
mortifera ex sui conditione & indignitate. *Hinc elicit co-
rollarium numero primum*: Nulla offensa DEI est venia-
lis de se, nisi tantummodò per respectum ad divinam mi-
sericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam
imputare ad mortem, cum illud posset justissimè. Et ita
concluditur, quod peccatum mortale & veniale in esse
tali non distinguuntur intrinsecè & essentialiter, sed so-
lùm per respectum ad divinam gratiam, qua peccatum
istud imputat ad pœnam mortis, & aliud non. *Huc usq;
Gerson.*

*Quare in peccatorum venialium remissione reatus ad
æternam quoq; damnationem remittitur sanctis, cum orant:
Remitte nobis debita nostra.*

13. *Deniq; falsum est & consecrarium, cum docent, venia-
lia peccata, quia temporales pœnas mereantur, per leviores sa-
tisfactiones expiari, quales sint precatio Dominica orationis,
aqua Benedicta: quemadmodum mortalium peccatorum rea-*

tus expiatur per solenniores satisfactiones. Resp. Nullum enim peccatum expiatur per aquam lustralem, quæ humanum duntaxat inventum est: Sed nec per ullam aliam hominum actionem aut passionem, ideo neutra satisfactio expiatoria dici potest. Solum Christi satisfactio expiavit nostra peccata, 1. Johan. 2. v. 2. & c. 4. v. 10. quæ apprehenditur per fidem, & sic apprehensa liberat ab omni reatu. Cumq; fidelis homo precatur: Remitte nobis debita nostra, illà oratione accipit remissionem peccatorum, non ut est opus vel satisfactio aliqua applicatoria, sed ratione desiderii fidelis, quod voce externâ enunciatur. Nam pii pravos carnis motus agnoscentes cum lege D & I pugnare, & offensam D E I extimescentes, fide adspirant ad D E U M, non solum pro opitulatione spiritus ad mortificationem carnis, quæ sanctificationis opus est; sed in primis pro remissione peccatorum, quam fideli desiderio flagitant & accipiunt. Ubi enim fides est, ibi non potest non obtineri gratia, propter Christum fide apprehensum.

14. Et quicumq; fide in Christum moriuntur, in illis, sicut anima discedens à corpore prorsus liberatur ab in herentiâ & actu peccati, ita etiam nullus superest reatus ad ullam pœnam sive aeternam, sive ad tempus in purgatorio, quod Pontificii fingunt, luendam: sicut optimè August. lib. de Natura & gratia, c. 35. ait: Etiam si hîc non vivitur sine peccato; tamen licet mori sine peccato, dum subinde veniâ deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur. Quare Psaltes, cum ait, sanctos orare pro remissione peccatorum, simul remissionis pristina continuationem, & peccatorum venialium, subinde se exerentium, novam remissionem intelligit.

πρόσι-

πρόγραμμα III.

Propterea remissio peccati non est ejus, quoad ipsam pravitatem expulsio, & justitiæ inhærentis infusio.

1. Bellarm. lib. 2. Inst. c. 2. & Becanus in disput. de Justificat. Cathol. c. 2. th. 2. ut & in manuali suo, nec non alii Jesuitæ disputant, remissionem peccatorum non tantum significare ablationem reatus, & impunitatis causam, verum etiam peccati omnimodam extirpationem esse. Ast Psaltes noster evidenter distinguit remissionem à dispositione & qualitate justificatorum, & Paulus, ut porismate primo demonstravimus, justitiæ nostræ coram Deo rationem ponit in remissione peccatorum, significante ignoscentiam culpæ, & non punitiorem.

2. Hunc esse perpetuum significatum remissionis peccatorum probamus:

I. Ex naturâ nostræ remissionis, quâ proximo jubemur ignoscere offensas, Matth. 6. v. 4. & 15. c. 15. v. 21. ad imitationem divinæ remissionis. Nos autem remittimus peccata non ablatione. Hoc enim non fit ablatione peccatorum, quoad ipsorum pravitatem, sed quoad reatum.

II. A Pari; Sicut se habet remissio crediti, ita etiam se habet remissio pœnæ, Matth. 6. v. 12. & c. 18. v. 25. Sed creditum remittimus, ita ut non operemur aliquam in debitore qualitatem, sed tantum ipsi non imputamus amplius debitum, nec ab eo exigimus æs nostrum. Ergo & remissio debiti pœnæ sic fit, ut quoad naturam suam non constituat expulsionem pravitatis inhærentis.

3. Quamvis enim donatio justitiæ inhærentis in reconciliatis Deo perpetuò cohereat cum remissione peccatorum: tamen hæc ipsa renovatio seu expulsio peccati quoad dominatum mali-

malitia, & infusio iustitia inherens, non pertinet ad rationem
& naturam remissionis, sed mortificationis & vivificationis
seu renovationis.

4. Nec obstat, quòd remissioni peccatorum equipolleat
τὸ ἀίρεν, tollere, seu delere peccata, ut supra diximus. Nam
remissioni peccati certo tantum respectu equipollet deletio pec-
cati, scilicet quoad reatum spectati. Aliàs remittere est angu-
stius, quàm delere peccatum. Illud tantum ad reatum peccati
pertinet; hoc & ad reatum, & ad pravitatem ipsam, comple-
ctens utrumq; beneficium tam justificationis, quàm renovatio-
nis: illud individue absolvitur & perficitur, cum homo justifi-
catur, hoc autem, quoad renovationis beneficium in presente
vitâ inchoatur, in alterâ absolvetur & consummabitur.

Πόρισμα IV.

Sicut nec tectio peccati est deletio peccati.

1. Hic iterum obloquuntur Pontificii. Nam Pererius in
disput. 3. in c. 4. ad Rom. nec non Bellarminus lib. 2. de Justific.
c. 9. ita tegi contendunt peccata in justificatione, ut prorsus de-
leantur & extinguantur, & non amplius sint.

2. Respondentibus autem nobis, tegere non esse delere,
& licet ea, quæ tecta sunt, desinant videri, non tamen evenire,
ut desinant esse, cum v. g. in diluvio operiti fuerint montes excel-
si sub universo cælo, & tamen illi esse non desierint, Gen. 7. Ipsi re-
gerunt, aliud esse tegi peccatum coram hominibus, qui non pos-
sunt pervidere abdita, aliud esse tegi coram Deo.

3. Sic itaq; argumentantur:

Quæ dicuntur tecta respectu Dei omniscii, cujus
oculis nihil tectum, sed omnia aperta sunt Hebr.
4. v. 13. illa delentur, & non amplius sunt.

F

Pecca-

Peccata nostra in justificatione nostrâ teguntur coram Deo omniscio.

Ergò peccata in justificatione simul delentur, & non amplius sunt.

4. R. Deus duplici modo peccata videt & cognoscit. 1. Ratione omniscientia. 2. respectu justitia vindictiva. Verum est, quòd Deo, ratione omniscientia, nihil tectum esse queat, sed omnia, qua sunt & existunt, ipsi in aperto sint & cognitissima. Sed peccata non dicuntur tegi coram Deo, ratione omniscientia, in doctrinâ de justificatione.

5. Nam omniscientia divina respectu David in hoc Psalmo v. 5. ait: Peccatum meum non operui. Et Ps. 51. v. 6. de peccato suo clandestino, & quod in abscondito fecerat 2. Reg. 11. conqueritur: Malum in oculis tuis feci. Ita in Psal. 19. ab occultis suis petit mundari. Quod si Deus ea occulta non cognosceret, neq; mundationem illorum ab eo peteret David.

6. Tegi verò perhibentur peccata coram Deo, tanquam vindice, eorumq; foeditatem abominante ac puniente; & hanc significationem probamus, I. ex locis parallelis, ut Psal. 85. v. 3. Remisisti iniquitatem populi tui, operuisti omne peccatum eorum. Hic remittere peccatum, & operire illud, non, nisi pœna ablationem, significant, idq; statim explicatur ab effectu v. 4. Abstulisti omnem iram tuam, revocasti ab excandescendo furorem tuum.

7. II. Ab opposito, Jer. 49. v. 10. Ego discooperui Esau, revelavi abscondita ejus, & celari non poterit. Item Nehem. 4. v. 5. Ne operias peccatum eorum, & peccatum eorum coram facie tuâ non deleatur, quia irritaverunt te respectu ædificantium. Nam his pbrasis oppositis notatur ὁ δειγμα, supplicium, quod publicè sumitur de aliquo, in terrorem aliorum.

8. III. Ab

8. III. Ab æquipollentibus phrasibus: *quales sunt: abscondere faciem à peccatis Psal 51. v. 11. cui opposita est: observare peccata Psal. 130. v. 3. item non recordari peccatorum, Jer. 31. v. 34. ut & Latinum, ignoscere.*

9. IV. Ab exemplo piorum, *peccata in aliis tegentium. Prov. 10. v. 12. Caritas operit multitudinem delictorum. Hac enim opertio delictorum, non fit ratione scientiæ, quia ignota non possunt remitti; sed ratione vindictæ, sicut Jansenius quoq; homo Pontificius super illud caput explicat: Caritas, inquit, efficit, ut quis delicta alterius etiam magna non multum attendat, ad exaggerandum ea, aut vindicandum, sed ut ea potius extenuet, obliviscatur, è memoriâ deleat ac condonet.*

10. *Concludimus ergò, Deum quoq; peccata nostra operire, sive tegere hoc modo, ut per illa non appareamus deformes in conspectu ejus, cum judicat, cumq; peccata non vult meminisse ac punire.*

11. *Egregiè Augustinus in hunc Psalmum, qua diximus, comprobat: Tecta ergò peccata quare dixit? ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata, ut noveris, quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata: quid ei dicitur? averte faciem à peccatis meis.*

Πείσμα V.

Deniq; non imputatio peccati non infert absentiam peccati omnimodam.

1. *Pontificii non imputationem peccati, itidem volunt, importare absentiam peccati ab eo, cui non imputatur: sicut imputationem justitiæ statuunt includere donationem inherentiis justitiæ.*

Proinde justificationem peccatoris, cum eam nos doce-

mus, imputatione justitie Christi fieri, Bellarminus nominat
putativam lib. 2. de justif. c. 7. Sed haec glossa & calumnia e dia-
metro pugnant cum verbo Dei. Nam quando Simeï orat Davi-
dem: Ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem, neq;
memineris ejus, quòd iniquè egerit servus tuus, 2. Sam.
19. v. 19. an non remansit in Simeï malefactum, licet illi fuisset
remissum?

2. Sicut Christo peccatum fuit imputatum, ita
credentibus non imputatur. Sed Christo fuit imputatum
peccatum, quod non habuit, nec fecit, sed alienum Marc.
15. vers. 28. Esa. 53. vers. 4. Quare nobis non imputatur pec-
catum, quod tamen nobis inhæret, vel à nobis patratum
est.

Deinde & bonum posse alicui imputari, licet ei non inha-
reat, vel adsit, cui imputatur, manifestè liquet ex c. 18. Numer.
v. 27. ubi DEUS inquit ad Levitas: Offeretis decimas de
decimis, & reputabitur vobis oblatio illa vestra, ut fru-
mentum de area, & ut plenitudo de torculari, i. e. perin-
de hoc Deo erit, ac si de propriâ area & vineâ obtulissetis,
nimirum, si haberetis proprias. Speciatim verò justitiam il-
lam, quæ credentibus in justificatione imputatur, esse alienam,
& imputatione reverà nostram fieri, docet Paulus, 2. Cor. 5.
v. 21. ubi ait: Nos fieri justitiam DEI, i. e. coram DEO valen-
tem, seu nos fieri justissimos coram DEO in Christo, sicut ille pro
nobis factus est peccatum, propter imputationem scil. nostri pec-
cati: Et Paulus Phil. 3. v. 9, 10. desiderat in die judicii inveniri in
Christo, habens justitiam non suam, quæ ex lege est, sed istam,
quæ ex fide est Christi justitiam ex DEO in fide.

Neque putativa & imaginaria est hæc imputatio justitie.
Nam quæ DEUS æstimat ac judicat esse, secundum veritatem
judicat, & sic æstimat esse, ut illis nulla subsit falsitas: tamq;
vera

vera est imputatio justitiæ Christi, in justificatione per fidem à nobis apprehensa, quàm vera est imputatio peccati alieni, nempe nostri in Christum conjecti.

πρόγραμμα VI.

Nec est otiosa subtilitas, logomachia, aut curiositas scholastica, quando ab imputatâ justitiâ Christi in actu justificationis distinguitur justitia inhærens imputatæ justitiæ.

1. Nam hanc accuratorem docet Paulus, qui hoc unice agit, ut opera excludat à justificationis naturâ, nedum ut formam ejus vel materiam esse concedat, hoc est id, quod sit justitia coram DEO valens. Ideò hoc ipsum dictum Psalmi nostri citans præponit hanc propositionem: Imputatur justitia χωρὶς ἔργων, absque operibus. Et cap. 3. Rom. v. 27. ait. ubi igitur gloriatio? (quæ possit esse ex operibus, sive per naturam, sive per gratiam factis, quia utraq, modo licet diverso nostra sunt) exclusa est: per legem operum? non, sed per legem fidei. Debet ergò hic χωρὶς ἔργων, hæc exclusio operum perpetuò ob oculos haberi, ne actum justificationis ingredi credantur opera. Non enim ex operibus justitiæ (inhærentis) quæ nos fecimus, sed ex suâ misericordiâ salvos nos fecit DEUS, Tit. 3. v. 5.

2. Placet ad hujus doctrinæ illustrationem afferre distinctionem separationis vel abstractionis, quam & ipsi Jesuitæ aliàs cum Philosophis recipiunt. Alia abstractio vel separatio est negationis, si ea, quæ conjuncta sunt & individuo nexu coherent, non tantum distinguuntur, sed & illa ab invicem abesse, adeoq, contrarium adesse posse putatur. v. g. Si quis calorem ab igne ita abstrahat, ut putet ignem etiam non posse

calefacere, aut frigidum esse. Alia verò separatio est præcisionis, quæ ea, quæ necessario cobarent, ita considerantur, ut unum ab altero, quatenus ad naturam & essentiam non pertinet, accurate distinguatur, & ad illius definitionem non assumatur: quemadmodum proprietas à formâ, effectus à causâ discernitur.

3. Cùm ergò in justificatione dicitur; non nisi fide & absq; operibus, id est, solâ fide justificari hominem, tunc non putandum est, quòd fides justificans sit solitaria, & sibi non habeat præsentia opera bona, tanquam proprium effectum & justificationis consequens, vel possit esse cum malis operibus. Hoc enim perinde se haberet, ac si ignem quis diceret esse vel non calidum vel frigidum. Et sicut respirationis absentia ostendit, corpus esse mortuum: ita studii Bonorum operũ defectus arguit, fidem esse mortuam. Non ergò exclusivæ illæ particule significant separationem negationis; sed abstractionem præcisionis, quæ opera bona ab actu justificationis removentur, & ostenditur, eam ad naturam & essentiam illius constituendam non concurrere. Non enim DEUS peccata remittit, quia ipsum timeamus & dileximus, sed ut ipsum timeamus & diligamus, Psalm. 130. v. 3. 4. Apud te est Condonatio, ut timearis, i. e. reverenter colaris.

4. Porrò hæc abstractio, opera Bona à naturâ justificationis præciciens sive distinguens, fit tam MENTE quam AFFECTU.

5. MENTE: cùm actus justificationis & fides, justitiam Christi justificam apprehendens, distinguitur ab operibus tanquam ad justificationis actum constituendum non concurrentibus. Nam sicut risibilitas distinguitur à forma hominis & removentur à definitione hominis, quia essentiam hominis non constituit, sed consequitur; sicut item in visionis actu oculus distinguitur à cæteris partibus capitis, quæ licet uniantur cum oculo, non
tarsen

tamen organum visionis fuit, neq; ad visionis actum requiruntur: ita quoq; iustitia inbarens, licet per negationem separari nullo modo queat à justificatione, quia ut ejus effectus & signū semper illi coheret, tamen separatur præcisione, b.e. distinguitur hoc modo à justificatione, quòd ejus actum non ingrediatur. Ita Ambrosii quoq; verba sunt accipienda super c. 4. Rom. cùm de Davidis, à Paulo allegatis, verbis agit: Manifestè beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera: NISI TANTUM ut credant. Idem Ambrosius in comment. super 2. Cor. 1. aureum hoc dictum habet: Credens salvus est sine opere SOLA FIDE, gratis accipiens remissionem peccatorum.

6. Atq; ex hac distinctione possunt optimè conciliari theses, quas Lutherus in disputatione Anni 20. cui titul. Utrum opera faciant ad justificationem, defendit: Propositio 3. est: Fides, nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat: imò non est fides. Et Propositio 4. sic habet: Impossibile est, fidem esse sine assiduis & multis & magnis operibus. Hæc enim Propositio vera est, de abstractione negativâ: sicut illa de abstractione præcisionis intelligi debet.

7. Hoc idem illustrius explicat Lutherus tom. 4. Lat. in epist. ad Galat. fol. 86., cùm fidem in justificatione vocat abstractam, ac distinguit à fide concretâ, id est, cum operibus bonis conjunctâ; seu, ut tom. 1. fol. 151. loquitur, incarnatâ. Verba ex tom. 4. sic habent: Distinguere solemus fidem hoc modo, quòd fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Ut enim artifex variè de suâ materiâ, & hortulanus de arbore vel nudâ vel gestante fructus loquitur: ita & Spiritus sanctus in Scripturâ variè de fide loquitur, jam de fide, ut sic dicam, abstractâ seu absolutâ: jam

jām de fide concretā, compositā seu incarnatā. Fides absoluta seu abstracta est, quando Scriptura absolutè loquitur de justificatione, seu de justificatis, ut cernere est in Epistolis ad Romanos & Galatas. Quando verò scriptura loquitur de præmiis operibusq; tunc de fide compositā, concretā seu incarnatā loquitur, ut: hoc fac, & vives. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; Declina à malo, & fac bonum.

8. *AFFECTU, cū in Christi merito solo queritur justitia, non autem in aliis rebus, v.g. in operibus. Scitè Lutherus hoc tradit tom. 4. Lat. Jen. in ep. ad Galat. p. 103. Quando disputandum est de justitiā (coram Deo valente) vitā, & salute æternā, omninò removenda ex oculis est Lex, quasi nunquam fuerit, aut futura sit, sed prorsus nihil sit. In negotio justificationis nemo satis potest è conspectu Legem (& quæ in eā requiruntur opera) remove, & promissionem solam intueri: Ideò dixi, Legem & promissionem affectu (non intellectu tantum) longissimè esse separanda. Reipsā enim sunt conjunctissima.*

9. *Altera causa hujus accuratæ distinctionis est summa necessitas in erigendis pavidis conscientis. Quando enim peccator constituitur coram Dei judicio, & à Lege accusatur, ibi non potest obtendere fidem, ut est notitia assensus, fiducia in se ut opus spectata; neq; inhaerentem justitiam reliquam, quippè cum illa à lege imperfectionis arguatur; nemo autem à Deo innocentie testimonium & præmium vitæ æternæ reportare possit, nisi sit perfectè justus. Oportet ergò esse perfectam justitiam, quā homo justus coram tribunali Dei constituatur. Hac verò nulla est alia, quàm Christi, quæ credenti à Deo imputatur.*

10. *Sic invocatio vera esse non potest, nisi, qui orat, certus sit, se perfectè justum esse, & Deo placere in Christo, atq; ex hac*

*bac gratiã se impetraturum, quacunq; ad salutem suam sunt ne-
cessaria.*

11. *Egregiè hanc distinctionem sive abstractionem ex-
plicat Bernbardus serm. 61. in Cant. Reverà ubi tuta firmaq;
securitas, nisi in vulneribus Salvatoris? tantò illic securi-
or habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Ere-
mit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur; non
cado: fundatus enim sum supra petram firmam. Peccavi
peccatum grande, turbatur conscientia, sed non pertur-
babitur, quia vulnerum Christi recordabor, nempè vul-
neratus est propter iniquitates; quid tam ad mortem,
quod non Christi morte salvetur? Et Lutherus in epist. ad
Brentium: Ego, inquit, soleo, ut hanc rem meliùs capiam,
sic imaginari, quasi nulla sit in corde meo qualitas, quæ
fides vel qualitas vocetur, sed in loco ipsarum pono
ipsum Christum, & dico: hæc est justitia mea, ipse est
qualitas, & formalis, ut vocant, justitia mea, ut sic me li-
berem ab intuitu legis & operum. Et tom. 2. Germ. Jen.*

*p. 483. b. Weil Christus mein ist durch den Glauben/
vnd ich wiederumb sein bin / so kan mich kein Gesez be-
schuldigen / so wenig als Christum. Vnd ob es gleich
berfehret / vnd mich angreiffen wil / so werffe ich ihm
solches für / vnd spreche: Hab ich doch alles vnd mehr
gethan / denn du haben wilt / vnd ob ich schon im Fleische
noch böse Lust habe / wende ich die Augen hinauff zu
Christo / der ist mein / giebt mir alles / was er hat: So
ist seine Reinigkeit auch mein. Also kan es nichts an mir
schaffen. Wenn ich aber herunter sehe / so finde ich noch
viel Unreines / dazu das Gesez Recht an mir hat.*

12. *Procul ergò hæc accuratio abest ab otioso verborum
certamine, sicut gravissimè Chemnitius demonstrat, in Exam.*

G

Concil.



Concil. Trident. de Justif. sub initium, ubi etiam Patrum affert testimonia, qui licet analogiam secuti Latina compositionis, verbum justificare, usurparint, cum promiscuè loquuntur de donatione fidei, per quam justificamur, & ipsà justitia Christi per fidem apprehensæ imputatione: tamen rerum ipsarum, hoc est, fidei & justitiæ imputatæ discrimen frequenter incutârunt. Testimoniis illis Patrum addimus adhuc unum ex Justino Martyre in epist. ad Diognet. p. 386. In quo alio nos iniqui & impii δικαιωθῆναι, justificari possumus, quàm in solo Filio Dei. O dulcè permutationē! ô impervestigabile artificium! ô beneficia expectationem omnem superantia! ut iniquitas quidem multorum in uno justo abscondatur, justitia autem unius faciat, ut multi pro justis habeantur. Vidit hoc etiam in medio Papatu Iohannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, qui obiit anno Christi 1429. & de vitâ spiritual. anima lect. 4. Corol. 9. sic scribit: Nullum peccatum potest remitti, nisi per hoc, quod DEUS liberaliter non imputat illud ad peccatum; hoc Propheta vidit, dicens: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, quasi exponens illud, quod præmiserat: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Nam hoc posito, peccatum tollitur, hoc non remoto, nunquam amovetur. Quomodo verò id fiat, Gersonius apponit varias variorum auctorum explicationes, & hoc modo concludit. Sequitur expositione hac, qua probabilior videtur, nullam esse absolutam necessitatem ponendi caritatem distinctam pro justificatione impii: Aliam ergò Gerson justitiæ in justificatione non requirit, nisi solam peccati remissionem per imputationem justitiæ.

πρόσμα VII.

Justificatis remissum est debitum omnis pœnæ,
tàm

tam temporalis, quatenus poena est, & à maledictione provenit illa afflictio, quam
æternæ.

1. Ideò David ait de peccatis à se agnitis: Tu remisisti iniquitatem peccati mei. Sensus est: Ignovisti mihi reatum peccati mei, liberasti me à poena, & in fontem habuisti, quasi illud non patrassetem. Theodoretus sic explicat: ἡ πρὸς ἀξίαν ἀνομιῶν ἐπόλασας, ἀλλὰ τὴν μὲν ὑπερβολὴν τῆς ἀμαρτίας συνεχώρησας, συμμέτρως τὴν παιδείαν ἐθεράπευσας, id est, non punivisti me, prout dignus & meritus eram, verum excessum quidem peccati remisisti, mediocri verò castigatione medicinam adhibuisti. Et rursùm: Oportebat me, cum illa perpetrare ausus sim, statim secundum legem morti tradi, ἀλλὰ Φιλανθρωπία χρησάμενος, sed benignitate, vel clementiâ usus morti quidem me non tradidisti, μετρίως δὲ παιδείας ἰατρεύσας, moderatâ verò castigatione mihi medicatus es. Probat autem hoc Theodoretus ex historiâ Davidis, cui dicenti: Peccavi Domino; respondit Nathan, Dominus quoq; abstulit peccatum tuum, non morieris, Sed nihilominus per eundem minatus est illi Deus, quòd multis calamitatibus vellet domum ejus implere.

2. Videtur ergò Theodoretus per ὑπερβολὴν, seu excessum peccati intelligere rigorem ex formali poena peccati, id est, maledictione provenientem, secundum quam non affligit eos, qui cum ipso redeunt in gratiam, sicut aliàs scriptura dicit: Deum pios non in furore, sed in iudicio corripere. Jer. 46. v. 28. Vult itaq; tantum remanere paternas castigationes, quæ à Deo non adhuc irato immittuntur. Nam expresse vocat θεράπεια ἡ ἰατρεία, medicationem: sicut & Augustinus in Psalmum 102. tom. 8. ait: Quod pateris, unde plangis? medicina est, non poena, castigatio est, non damnatio. Et in Psalm. 138.

Tota miseria generis humani, in quâ gemit mundus, no-
veritis, Fratres, quia dolor medicinalis est, non sententia
pœnalis. *Et tractatu postremo in Jobann.* Hanc vitam, de
quâ scriptum est, numquid non tentatio est vita humana
super terram, in quâ quotidie clamamus ad Dominum;
Libera nos à malo; cogitur homo tolerare etiam remis-
sis peccatis. Quamvis, ut in eam veniret miseriam, pri-
mùm fuerit causa peccatum; productior enim est pœna,
(*materialiter sic dicta*) quàm culpa, ne parva putaretur
culpa, si cum illâ finiretur & pœna, ac per hoc vel ad de-
monstrationem deditæ miseriæ, vel ad emendationem
labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ,
temporaliter hominem detinet pœna etiam, quem jam
ad damnationem sempiternam reum non detinet cul-
pa. *Quæ verba non sunt eò accipienda, quasi non omnis reatus
tollatur in remissione peccatorum, sed remaneat noxia tempora-
lis pœna. Nam paulò antè temporalem pœnam dixit esse medi-
cinam. Quare in ultimis verbis intelligit pœnam non propriè
dictam, quæ cum maledictione conjuncta est, sed impropriè,
de afflictionibus, quibus Deus pœnitentes, & jam filios
suos factos in misericordiâ suâ castigat, unde Psaltes generatim
dicit de omni reatu: remisisti iniquitatem peccati mei, seu
peccatum, quod cum reatu conjunctum est. Unde Symmachus
vertit: Tu remisisti ἀνομιον ἀμαρτίαν, h.e. iniquum peccatum.
Vide plura de hac controversiâ in disputatione nostrâ contra
satisfactiones Pontificias c. i.*

πόρισμα IIX.

Prorsus ἀπίστευτον & inscita est invocationis san-
ctorum defunctorum probatio Papistica ex ver-
bis Davidis: *Pro hoc, vel propterea orabit ad te
omnis sanctus, tempore inventionis.*

1. Ponti-

1. Pontificii quidem omnes sanctos intelligunt de sanctis vivis & mortuis, iisq; tribuunt orationem pro peccatis non propriis, sed aliorum hominum, pro quibus ipsi intercedant, eò quòd in Hebræo sit vocabulum רַחֻם hoc est, ut ipsi vertunt, misericors atq; sanctus; beati autem sint maximè misericordes & sancti. Quam interpretationem invenit Eckius, & post eum usurpavit Cochlæus, uti meminit Chemnitius Part. 3. Concil. Trident. in refut. argum. 21. nec non Salmeron tom. 15. & Franciscus Horantius 3. locor. Cathol. c. 31.

2. Hinc duos defendunt errores. 1. Sanctos mortuos pro nobis intercedere, ut iniquitas peccati nobis remittatur. 2. sanctos mortuos esse invocandos, propter istam intercessionem.

3. Sed respondemus 1. Psalmus noster verba facit de iis sanctis, qui sub hoc carnis corruptibilis onere adhuc gemunt, & pro se ipsis orant: Dimitte nobis debita nostra. 2. Oratio debet fieri in tempore inventionis, i. e. illo, quo potest adhuc inveniri gratia, quoq; pios etiam inveniunt calamitates, ut admoneant residua pravitatis, & sic ob carnis adversus spiritum concupiscentiam veniam petant. Sanctis autem defunctis non est opus, ut inveniant adhuc gratiam, quia jam gloriam obtinent: multò minus aliqua causa est, propter quam afflictiones invenire ipsos debeant, quia inherente justitiâ jam plenâ & confirmatâ sunt præditi. Quare de sanctis non defunctis, sed vivis hæc verba sunt accipienda, sicut & Carthusianus observat: pro hac re, i. e. pro remissione peccati, ad te orabit sanctus, h. e. omnis viator, quantumcunq; perfectus.

4. Multò ergò minus ex his verbis deduci potest, quòd sancti defuncti sint invocandi, quia illa non loquuntur de oratione, quæ ad sanctos dirigitur, sed quâ sancti Deum invocant in hac vitâ, ipsi dicuntur orare, non orari.

Πόρισμα IX.

Beatitudo itaq; spiritualis est fruitio gratiæ Dei, proveniens ex remissione, tectioe & non imputatione peccati, per veram in Christum fidem, ad hæreditandam gloriam æternam.

Gratiæ vox hic non accipitur pro eo actu misericordiæ divinæ, qui justificationem antecedit, tum illo, quo Deus motus est, ut Filium redemptorem daret Tit. 2, 11. & promittit se iram depositurum, tum etiam illo, quo nobis justitiam Filii applicat absq; operibus & meritis nostris, ut iram deponat Rom. 3, v. 24. Tit. 3, v. 7. sed pro eo actu, qui justificationem sequitur, quoq; Deus iram deposita diligit credentes, tanquam jam justos, eosq; justitiæ premiis ornat. Eph. 1, v. 6. ἐχαρίτωσεν, gratis dilexit nos in dilecto: Hic enim gratiæ & dilectionis gradus opponitur iræ, vindictæ & pœnæ exactioni divinæ.

Hujus autem gratiæ fruitio generis locum obtinet, quia ut Augustinus lib. 1. de doctrinâ Christianâ c. 4. ait: Frui est amore rei alicujus inhærere propter se ipsam, &c: Frui est cum delectatione uti. Summum enim bonum hominis in hac vitâ est, esse Deo reconciliatum, & à reatu peccati ac condemnatione immunem: quod in alterâ vitâ excipit cœlestis gloria. Causa efficiens est divina peccati remissio, tectio & non imputatio. Hanc esse continentem causam docet August. in Psal. nostrum: Qui sunt beati? non, in quibus Deus non invenit peccatum; nam in omnibus invenit, omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Si ergò in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum sunt remissa peccata.

Finis est vita & beatitudo æterna, ad quam jus datur credentibus in justificatione.

QUÆ-

QUÆRITUR.

An iustitia à veterè Latino interprete rectè dicatur *accepto ferri*, Rom. 4. v. 6. *περὶ λογίζεσθαι*, imputari, & an imputatio hæc commodè queat acceptilatio vocari?

Coronidis loco placet adungere explicationem quintæ petitionis ex paraphrasi Job. Ludov. Vivis natione Hispani, quem Claudius Espensæus Episcopus Com. in 2. Tim. part. 2. nominat virum undiquaq; eruditissimum, extra omnem irreligiosi animi suspicionem scriptorem legi dignissimum: Sed illum Jesuitæ vix pro Semicatholico habent. Sic autem habent verba in ejus meditationibus diurnis. Et remitte nobis debita nostra.

Debemus Celsitudini tuæ venerationem, debemus paternitati obedientiam, & obsequium, bonitati benevolentiam, ut amantem redamemus; debemus pro beneficiis atq; ampliss. muneribus gratitudinē, debemus veraci fidem, optimo ac potentissimo fiduciam. Hæc quoties non præstamus, quum res poscit, & poscit quàm creberrimè, debitū non dissolvimus, sed alienū detinemus. Verūm quis hæc præstat omnia? nemo est, qui non multa, & multum singulis momentis debeat. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, inquit discipulus tibi charus, ipsi nosmet seducimus, & veritas in nobis non est. Et qui proposuit nobis hanc formulam cunctis communem, cunctos pronunciat obnoxios esse debito, hoc est, peccato. At si quis non esse sibi cujusquam delicti consciū dicit, audiat is alium Apostolum: nihil mihi conscius sum, sed non protinus justificatus sum. Oret autem pro occultis cum Psalmistâ: ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Quòd si cui remissa sunt peccata omnia, de peccato tamen propitiato vult nos sapiens non esse citra curam:

ram: precetur pro seminario noxiarum & scelerum, quod unusquisque nostrum secum circumfert, ut radix illa execrabilis cobibeatur, ne suppullulet. Et quemadmodum pro peccatis suorum oravit Christus, quæ ipse in mysticis literis sua vocat, omnia scilicet inter caput & membra communicante charitate; ita & nos pro delictis fratrum deprecemur communem patrem, transferrante illa in nos amore. Christus caput est nostrum, quod nobis amore copulatur, nos verò invicem membra simili nos benevolentia aptante & compingente. Exemplum est nobis Christus charitatis, exemplum sit etiam operum, quæ ex charitate nascuntur. Oramus te Domine, ut bonitas tua ad delicta nostra conniveat, quæ si ad examen volueris revocare, nullus vel justitia tua mansuetudinem, nedum severitatem sustinebit. Subveniat nobis tua misericordia, quos multorum esse jam à justitia scelerum damnatos agnoscimus. Purga nos igne favoris tui, repone nos in tuam gratiam, reconciliare nobis, namque hoc demum est remitti nobis abs te debita nostra.


GRATIAS TIBI DOMINE JESU.

Errata corrigenda.

In proœm. §. 2. in vocab. Hebraeis litera ך̄ insere Dagesch. Ibid. lege Esa. 53. v. 1. §. 4. lin. 7. l. Pl. 119. v. 99. l. 8. & v. 100. Et 144. Thes. 1. §. 3. l. Eustathius. §. 8. beatam. Th. 5. §. 1. l. אַבְרָם Ib. Esa. 22. v. 1. §. 2. Gen. 4. v. 15. Th. 6. Gen. 3. v. 21. Th. 7. §. 4. Lev. 17. v. 4. Th. 9. memb. 2. §. 6. deprecationi. Th. 10. §. 2. l. 7. non ego tantum &c. §. 4. l. אֲנִי. §. 6. l. 3. אֲנִי Ib. 1. Sam. 2. v. 25. 2. Chron. 30. Porism. 4. deletio peccati (adde) ut non sit. Porism. 6. dele: imputatae justitiæ.

F I N I S.





B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

lòs Davidicus,

Hoc est,

NIS VERE

TIS à BEATI

SPIRITUALI

DICATIO,

l. tanquam ex propriâ sede

CATIONE doctrinae, recen-

s detorsionibus vindicata,

nis publicæ ergò

ademia Lipsiensi

XXIIX. Calend. April.

proposita

ab

HÖPFNERO

D. & Prof. Pub.

CONDENTE

HOFERO Græc. Styro,

ano Elector.



PSIÆ,

GREGORIUS Nisch.

DC. XXIIX.

Md 105